This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Class
8403
2

class 8403.2

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 24 April, 1893.

QUAESTIONES COAE MYTHOLOGAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIV. MENSIS OCTOBRIS HORA XII. UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS DIBBELT
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
B. KINDT, DR. PHIL.
H. PANZER, CAND. PHIL.
H. GIPPE, SEM. PHIL. SOD.

GRYPHISWALDIAE MDCCCXCI.

class 8403.2
~~12272.86~~

HARVARD COLLEGE
APR 24 1893
LIBRARY.

Constantine Grand.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

S.

I.

DE MEROPIBUS.

Cois veteres incolae, promiscue ut videtur[1]), saepius ab antiquis auctoribus nomine *Μέροπες* vocantur, unde insula ipsa *Μερόπη*, *Μεροπίς*, *Μεροπηΐς* est appellata[2]). Cuius nominis et etymologiam quae minime inter viros doctos convenit et quam rationem ad Homericam vocem *μέροπες ἄνθρωποι* habeat[3]) missa facientes tali modo in Meropes inquirere nobis proposuimus, quali omnino in gentes populosque fabulis traditos eorumque eponymos heroes inquiri decet. Exstat enim Meropum eponymus Cous rex Merops. Insulae nomen proprium ita ei adnexum est, ut Con filiam[4]) eius esse dicant. Ipse aut terrigena[5]) esse traditur aut filius Triopae[6]), quod tum excogitatum et per incolarum ora perlatum esse videtur, cum Coi sacris Triopicis interesse coeperant[7]).

---

[1]) Huius rei indicium est quod velut Pindarus (Nem. IV, 25 sq.; Isthm. V, 28 sq.; cf. Strabon. VII, 331; Quintil. inst. or. VIII, 6, 71) et Plutarchus (qu. Gr. 58) contra Meropes Herculem dimicantem faciunt, cum Heraclidis, id quod huius dissertatiunculae ipsius est probare, cum compluribus in insula nationibus certamen contrahendum fuerit.

[2]) Locos videas apud Pape-Bensel. s. vv.

[3]) Epicum usum imitandum manifeste sibi proposuit poeta hymni Homer. I, 42: *Μίλητός τε Κόως τε πόλις Μερόπων ἀνθρώπων*. Grandibus tamen litteris vocem *Μερόπων* exprimendam esse patet.

[4]) Steph. Byz. s. v. *Κῶς*; Et. M. p. 507, 55.

[5]) l. l.

[6]) Steph. Byz. s. v. *Μέροψ*. Triopas et ipse Cois rex: schol. Theocr. XVII, 69.

[7]) Cf. Wilamowitzium Herm. XVIII, 431, cui tamen hoc Doribus demum deberi haud ita facile concedam. Etsi enim postea profecto Dorum propria habebantur

Quae apud Hesychium s. v. *μέροπες* exhibentur: *ἀπὸ Μέροπος τοῦ προφαέθοντος Κωοῦ υἱοῦ,* Wilamowitzium (Herm. XVIII, 431 [2]) certe emendasse puto cum scriberet: *ἀπὸ Μέροπος τοῦ πατρὸς Φαέθοντος Κῴου;* quem statim in medium proferemus. Praetermissis enim nunc ceteris quae ipsi Coo Meropi adnectuntur personis iam perlustremus heroes eodem nomine vocatos, si qui in fabulis quorumvis Graecorum locorum occurrunt. Nam nihil causae est quod isti singuli minore iure Meropum eponymi certaeque quaedam personae habeantur [1]).

Ac primum pono Aethiopum regem Meropem, cuius uxor Clymene a Sole Phaethontem parit. Solis autem et Phaethontis sedes, quae in fabula Phaethontea ab Euripide enarrata prope Meropis domicilium esse fingitur, celeberrima erat apud Rhodios. Inde cogitare licet de fabulari rege Cois insulae, quam Rhodiis Solis sacris ita fabula immiscet, ut Candalum Solis filium Rhodo illuc pervenisse doceat (Diod. V, 57). Sequitur autem Aethiopiam appellatam esse Con sicut alias insulas [2]).

Nec magis Meropem eum qui pater Epiones, Machaonis et Podalirii matris, appellatur [3]), a Coo discernet si quis reputat quas partes in Co insula Aesculapius tenuerit.

Troicae urbis Percotae regem Meropem (B 831) ita ad Coos rettulit Wilamowitzius (Isyll. p. 52 adn.) ut Cois Meropibus idem accidisse contendat quod Lyciis Cilicibusque, ut epicorum carminum rebus immixti etiam in Troade a poetis ponerentur. Hanc opinionem viri doctissimi amplecti nequeo, quoniam vere in fabulis Troadis Meropem constitisse mihi probant filiae eius et Arisbe [4]), quae primo certe ab ea urbe nomen duxit quae Percotae proxima

---

sacra Triopica (Herod. I, 144; schol. Theocr. XVII, 69; *Δώρεια τὰ ἐν Κνίδῳ*: Dittenb. syll. nr. 399), tamen quidni ante Dores instituta esse possunt? Triopas certe Dorum coloniis vetustior est.

[1]) At tale quid censet Wilamowitzius Herm. XVIII, 430.

[2]) De tota re conferas Wilamowitzium Herm. XVIII, 396—434 et Tuempelium Fleckeis. Jahrb. suppl. XVI, 165.

[3]) Schol. Il. IV, 195.

[4]) Schol. Il. XXIV, 497.

est[1]) (B 836), et Clite uxor Cyzici[2]). Et hae ad ipsam Troadem; filii autem Adrastus, ad quem Adrastea Troadis recurrit, et Amphius (B 830) ad Peloponnesum spectant[3]): id observandum est patris originem quaesituris.

Creticus Milesius est Merops pater Pandarei, qui in Creta e Iovis quodam sacro furtum fecit[4]); Creticum id quoque esse videtur quod filias eius, quarum alteri nomen Merope erat, raptas esse narrant ab Harpyiis, quae quidem in Creta sedes habuerunt[5]).

Iam ad Graeciam continentem accedimus. Cuius vel in eis regionibus quae maxime ad septentrionem vergunt, nonnulla exstant quae huc faciunt: Meropem dico, fabularem regem Anthemuntis[6]), urbis ad septentrionales Chalcidices fines Macedonicos sitae; nec minus in Epiri parte extrema Meropum montem[7]), cui affluit Aous flumen.

Boeotiae vel Phocidi vindicamus Hyantis filium[8]) Meropem. Neque enim Hyantis nomen aliud significare mihi videtur quam heroem eponymum Hyantum, quam nationem antiquissimis temporibus circa Onchestum Boeotiae habitasse, deinde ad Phocidis fines versam Hyampolim condidisse veteres tradunt[9]); et quod ille post magnam inundationem primus denuo homines consociasse dicitur, rursus ad locos Parnasso finitimos spectat[10]).

---

[1]) Quod Ephorus (apud Steph. Byz. s. v.) eam ad Lesbiam Arisben refert, licet quicunque erraverit, attamen harum urbium nexus primo obtutu apparet.

[2]) Apollon. Rh. I, 975 sqq.; Ephorus et Deilochus in schol. l. l.

[3]) Cf. M. Mayerum Gig. u. Tit. p. 38.

[4]) Schol. Od. XIX, 518; Anton. Liber. 36; Paus. X, 30, 2 (ubi tamen diversa filiarum nomina).

[5]) Apoll. Rhod. II, 299; Pherecyd. in schol.; cf. Maassium Goett. Gel. Anz. 1890 p. 341. — Hinc facile transire licet Miletum Ioniae, unde natus erat Merops, pater Achaei cuiusdam Cillicontis cognominati, qui utrum fabularis an vera fuerit persona mihi non liquet (schol. Aristoph. pax 363).

[6]) Conon. narr. 10.

[7]) Livius XXXII, 5. Nominativus Meropus (*Μέροπος): Μέροψ = Χάροπος: Χάροψ = μάρτυρος: μαρτυς, similia.

[8]) Schol. Il. I, 250.

[9]) O. Mueller. Orchom. p. 130, alibi.

[10]) Cf. Wilamowitzium Herm. XVIII, 430[2]. — Non multum differt, quod Hyas etiam Atlantis Arcadis filius (schol. Il. XVIII, 486; Hygin. fab. 192), Hyades

Unus restat Merops: avus Phidonis Argivi, pronepos Temeni[1]), celeberrimi illius Heraclidae. Ergone erat fortasse Meropis nomen Doricae nationis omnino proprium? Cave ne tale quid ex isto quidem stemmate concludas. Nam id quid sibi velit, etiam saepius cognoscitur: id nimirum quod heroes, quos a Dorum Heraclidarumque gente vere alienos fuisse e fabulis elucet, interdum ab his aperto consilio inter ipsorum herois posteros asciti sunt.

Haec de heroe Merope. Nec vero hoc tantum, sed aequa ratione etiam heroina quae vocatur *Μερόπη* natio quaedam Meropum exprimitur. Ac Coa ducenda est Merope quae inter Solis filias numeratur[2]). Eodem enim nexu rerum efficitur quo Aethiopum rex Merops, quem vere Coum agnovimus.

Maxime vero in Peloponneso sedes videtur fuisse Meropae. Sic enim vocata est Arcadum regis Cypseli filia quae e Cresphonte proava Aepytidarum regiae gentis est facta[3]); item una e filiabus Atlantis Arcadis. Eadem Corinthii uxor erat Sisyphi[4]); nec non Corinthia vel sis Sicyonia[5]) erat uxor[6]) Polybi eius, qui Oedipum Thebanum apud se accepit educavitque. Vides quae via ex Arcadia per Corinthum et Sicyonem ducat in Boeotiam.

Et Onchestii Hippomenis, qui Atalanten (Boeotiae Arcadiae communem) superasse fertur, mater erat Merope[7]). Sed hoc non

---

autem modo huius sorores, modo filiae Hyantis et Boeotiae appellantur (Hyg. astron. II, 21). Videas p. 7.

[1]) Diod. fragm. VII, 15.

[2]) Hygin. fab. 154 ex Hesiodo hausta. Quae ibidem in cod. F. reperiuntur verba 'Phaethon, Clymeni Solis filii et Meropes nymphae filius, quam Oceanitidem accepimus' et nonnulla quae sequuntur, ab interpolatore quodam inculcata esse Robertus (Eratosth. catast. p. 216; cf. Herm. XVIII, 434 sqq.) mihi persuasit. Ac de suo iste temere sive finxisse sive perturbasse videtur, cum et cogitari vix possit inter Solem et Phaethontem quempiam interpositum esse et Oceanitis constet Clymene.

[3]) Pausan. IV, 3, 6; Apollod. bibl. II, 4, 5.

[4]) Apollod. I, 9, 3; III, 10, 1; schol. Il. XVIII, 486; alii.

[5]) Cf. Herod. V, 67; Paus. II, 6, 6.

[6]) Pisander in schol. Eurip. Phoen. 1760; Sophocl. Oed. tyr. 774 sq. Qua ratione hoc loco appelletur *Λωρίς* mihi incertum est. Scholiasta ad l. interpretatur Peloponnesiacam; Schneidewinus et Nauckius (comment. ad l.) rettulerunt ad Doridem Oetaeam.

[7]) Hyg. fab. 185; cf. Apollod. III, 15, 8.

satis; ad Boeotiam vel si vis Arcadiam haud scio an referenda sit Oenopionis Chii filia Merope, quam petivit Orion[1]). Hunc quoniam circum Tanagram habuisse sedem constat, haud inepte posse mihi inquiri videtur, nonne etiam prius quam in Chio insula illi nexus cum Merope intercesserit. Iam vero Orion amore incitatus petivit etiam Atlantis filias[2]), e quibus duae Boeotiae fabulis certe insertae sunt: scil. Alcyone, e Neptuno mater Hyriei, qui ab Hyria urbe Tanagrae proxima nomen duxit et ipse Tanagrae habitasse traditur[3]), ac Celaeno, item e Neptuno mater Lyci et Nyctei Thebanorum[4]). Ex his omnibus rebus non dico certum fit,

---

[1]) Hesiod. frg. 17 Rzach.; Parthen. am. narr. XX (ubi pro *Αἰρω* recte emendavit *Μερώ* Maassius Phil. Unt. VI, 130).

[2]) Schol. Il. XVIII, 486; cf. Hyg. astron. II, 21.

[3]) l. l.; Apollod. III, 10, 1; alii. Etiam Atlantis memoria Tanagrae servatur (Paus. IX, 20, 3).

[4]) Hygin. astron. II, 21. Vulgo horum diversa genealogia est et alibi et apud Apollodorum III, 10, 1, qui tamen affert Celaenus et Neptuni filium Lycum a patre in 'beatorum insulis' collocatum; hae autem sunt Thebanae (schol. Lycophr. Al. 1194). — Occasione sponte oblata alia quaedam de Boeotiae Arcadiaeque necessitudine testimonia quae mihi praesto sunt congeram. Thelpusae, Arcadiae in oppido, Ceres quam vocant Erinyem e Neptuno equum Arionem (vel Erionem: cf. Wilamowitzium Herm. XXVI, 225) peperisse dicitur (Paus. VIII, 25, 4 sqq.); idem de Erinye quadam Boeotica fabula docet, locum autem indicat Tilphusam fontem prope Haliartum situm (Paus. IX, 33, 1), quocum congruit quod Haliarti rex Copreus Arionem illum a Neptuno donum accepit (schol. Il. XXIII, 346). Nomina *Θέλπουσα* — *Τέλφουσα* (Lycophr. Al. 562, 1040) — *Τίλφουσα* coeunt (cf. Meyer, Gr. gr.[2] p. 209). Eadem Tilphusia Erinys mater e Marte appellatur serpentis Thebani (schol. Soph. Antig. 126): sic transimus Thebas, ad quas haec fere pertinent. Thelpusae Arcadicae affluit Ladon (Paus. VIII, 25), quo nomine etiam Thebanus fluvius, qui vulgo Ismenus, olim vocatus est (Paus. IX, 10, 5 sq.); erat autem sacer Apollinis Ismenii. Neque Apolline caret aut Boeotiae oppidum Telphusa Tilphossa (Hom. hymn. Apoll. Pyth. vv. 66 sqq.; 199 sqq.; Strabo IX, 411) aut Arcadiae Thelpusa; hic autem deus appellatur *Ὀγκαιάτης* vel *Ὀγκαῖος*; vocatur porro Apollinis filius *Ὄγκιος*, qui tenet *Ὄγκειον* vel *Ὄγκας*, illum ipsum locum ubi Cereris Erinyis sacrum erat (Paus. l. l.; schol. Lycophr. 1225): quibuscum conferendam esse patet *Ὄγκαν* vel *Ὀγκαίαν* Minervam Thebanam (Aeschyl. Sept. 149; schol.). — Brevi attingo: Arcadiae provinciam Eutresiam, cui addicta sunt oppidulum *Σχοινοῦς* et proximi *Ἀταλάντης δρόμοι* (Paus. VIII, 27, 3; coll. 35, 5, 10), Boeotiae vero locum Eutresim (B 502); porro *Ἁλαλκομενείας* fontem Arcadicum (Paus. VIII, 12, 7) et Alalcomenas illas Boeoticas (Paus. IX, 33, 5). Cf. etiam schol. A. Il. VII, 9.

at valde adridet coniectura Meropen Chiam proprie esse Atlantis filiam, fabulam vero de ea Orioneque vel in Boeotia narratam fuisse atque a Boeotis in mediam Asiae oram transmigrantibus[1]) perlatam esse in Chium insulam[2]).

Haec omnia Meropes vestigia si recte iuncta sunt, haud scio an adnecti possint Attica et Merope filia Erechthei, mater Daedali[3]), et Pammerope Celei filia Eleusinii[4]). Sunt enim aliae fabulae non paucae, quarum nexu certe comprobatur Atticam inter et Peloponnesi quos dixi locos interfuisse olim necessitudinem incolarum[5]). Huic igitur illas quoque res vindicare quispiam potest; tamen cum Atticis quidem heroinis certiores originis notae desint[6]), stabilire rem non licet.

Incertior etiam res est de insula Siphno, quae propter cognomen *Μερόπη Μεροπία* huc facit[7]).

Enumeravimus singula Meropum vestigia; vidimus etiam cohaerere inter se quae Peloponnesiorum Boeotorum sunt: iam addamus quid de ceteris iudicandum nobis videatur. Ac primum haud exigui momenti est quod Epiri septentrionalis Macedoniaeque pars cum Arcadia potissimum multifariam ac manifeste colligata est[8]). Ita enim cum harum regionum ne Meropes quidem

---

[1]) Cf. maxime Paus. VII, 2, 3; Herod. I, 146. Ultro ad Boeoticum oppidum Myçalessum spectat Ionicum promontorium *Μυκάλησσος* (Steph. Byz. s. v.) vel *Μυκάλη*.

[2]) Hyrieum in Chio insula collocavit Pindarus (cf. Hygin. astron. II, 34). Etiam is qui in Chio Meropes pater est Oenopion filius Bacchi, quoniam cum Orione contendens marini Bacchi imaginem exprimit, ex Euripi ora, huius dei praecipua sede (cf. Maassium: Herm. XXIII, 77), originem sumpsisse cuipiam videatur.

[3]) Plutarch. Thes. 19.

[4]) Paus. I, 38, 3.

[5]) Vide G. Kirchneri 'Attica et Peloponnensiaca'. Dissert. Gryph. 1890.

[6]) Daedalus ad hanc quaestionem non multum iuvat; tamen quod eum attinet, opportunius quis ad Cretam a Meropibus non alienam recurrat quam ad Con insulam Töpfferus (Att. Gen. p. 165, 2).

[7]) Satis sit hoc loco id afferre quod de vetustioribus Siphni rebus omnino compertum est: Atticorum pars olim Alcenore duce eo transiit (Herod. VIII, 48; schol. Dionys. Perieg. 525), qua ex re fabula orta est Siphnum heroem filium Sunii esse (Steph. Byz. s. v. *Σίφνος*).

[8]) Orestarum populus modo Epiro, modo Macedoniae addictus, quorum urbs Orestia, connectitur cum Orestis fabulis, Agamemnonis filii, a Theagene *ἐν Μακε-*

iam discernantur, per totam fere Graeciam consociatae eveniunt reliquiae unius olim nationis. Iam vero indagare oportet, num ad eandem nationem referri possint ea Meropum vestigia quae extra Graeciam reperiuntur. Atque hic vix casui quisquam tribuerit quod his quoque omnibus fere certus cum Arcadia nexus intercedit: Cretae[1])

δονικοῖς (Steph. Byz. s. v. Ὀρέσται) et a Strabone (VII, 326); item rursus Arcadiae oppida Oresteum (Eurip. Or. 1647, alii), Tegea (Paus. VIII, 54, 4), Megalopolis (Paus. VIII, 34; Steph. Byz. s. v.). Tamen haec per se haud ita valent, quoniam aliis quoque locis communia sunt. — Macedonum provinciae quae et Orestiae et Tymphaeae et Thessaliae est finitima, nomen erat vulgo Elimia, apud Ptolemaeum geogr. III, 12, 23 (ed. Wilb.) Elyma (iuxta Ἐλιμιωτῶν); huius eponymus est Elymus (Steph. Byz. s. vv. Ἐλιμία, Αἰανή). Et Arcadiae locus Elymia vocabatur inter Orchomenum et Mantineam situs (Xenoph. Hell. VI, 5, 13). Sed hoc non satis; ad Arcadiam etiam redit quodammodo gens Elymorum, quae Siciliae extremam partem circum Erycem et Egestam tenebat. Hos enim heroesque Elymum et Aegestem fabula copulat cum Troia eisque heroibus qui vulgo feruntur Troiani, Anchise Aenea (v. Klausen., Aen. u. d. Penat. p. 479—487). Nec tamen hi sunt primitus Troiani, sed ni omnia fallunt, Arcades. Anchisae Aeneae Capvis Dardani quae circa Orchomenum Mantineam Caphyas Pheneum Psophidem obvia sunt vestigia congessit Klausenus l. l. p. 361—373. Quid? quod Psophide sunt res, quae aperte ad Siciliam spectent. Ibi enim et Erycinae Veneris sacrum erat et Psophidem vocant Erycis filiam, quam pater ibi reliquerit (Paus. VIII, 24, 2 sqq.). Eryx autem est Elymorum (cf. Apollod. II, 5). Tali igitur ratione Arcadicae Siculaeque res Elymorum videntur ex uno fonte fluxisse: iam maxime, opinor, probatur etiam Macedonicas eodem attinere. — Epiri sunt Tymphe mons Tymphaeaque urbs (Steph. Byz. s. vv. cf. Lycophr. Al. 802) eademque Stymphaea (Arrian. anab. I, 7, 5; Diod. XX, 28; Plut. Pyrrh. 6). In Callim. hymn. Dian. 178 libri praebent Στυμφαιΐδες, cum adnotet scholiasta: Τύμφαι etc. [cf. σμικρός: μικρός, σπυρός: πυρός, alia]. Stymphe vero nomen idem est quod Arcadicae urbis Stymphelus; quod probatur cum eadem fere vocum γαμφαί γαμφηλαί ratione, tum ea re quod Euboicae Chalcidi quod olim fuit nomen modo legitur Στύμφηλος (Steph. Byz. s. v. Χαλκίς), modo Στύμφη (Hesych. s. v.). — Τόμαρος vel Τμάρος mons ad Dodonam situs: Strabo VII, 327 sq.; Steph. Byz. s. v.; Τμάρος mons Arcadiae: Hesych. s. v.

[1]) Cretae locus Ἀρκάδες: Steph. Byz. s. v.; in nummo ἐφ. ἀρχ. III, p. 197. Arcadiae locus Κρητέα in Lycaeo monte (Paus. VIII, 38, 2). Ambabus regionibus communia horum locorum nomina sunt: Θεναί, Τεγέα (Steph. Byz. s. vv.), Γόρτυν. Porro intra Tegeae fines erat mons Κρήσιον, in quo Aerope, Cephei filia, e Marte Aeropum peperisse dicitur (Paus. VIII, 44, 7). Nec non Cretensis exstat Aerope Agamemnonis et Menelai mater, filia Catrei, qui a Cretae urbe Catre (vel Catreus) nomen duxit (Apollod. III, 2, 1). In hanc vero urbem ac Gortynem Cydoniamque Tegeatas olim transmigravisse fabula erat (Paus. VIII, 53, 4). Ad extremum

dico et Troadi[1]). Quid de Co insula? Nihil adhuc, quod sciam, necessitudinis quae cum Arcadia olim fuerit, enucleatum est. At videas res quas deinceps afferam.

1) Sunt Meleagri Gadarensis hi versus de se ipso scripti (Anthol. Palat. VII, 418):

εἰς γῆρας δ' ὅτ' ἔβην, ἡ καὶ Δία θρεψαμένα Κῶς
κἀμὲ θετὸν Μερόπων ἀστὸν ἐγηροτρόφει.

Unde sumere licet fabulam quandam quae de Iove in Co insula educato ferebatur. Sed erat ibidem etiam de Rhea Iovem pariente fabula. Legitur enim in schol. Townl. Ω 293, ubi variae proferuntur causae cur aquila Iovi carissima avis sit: *οἱ δὲ ὅτι Μέροψ ὁ Κῶος ἀπαύστως ἐπένθει τὴν γυναῖκα· ξενίσας δὲ τὴν Ρέαν*[2]) *μετεβλήθη καὶ συμπάρεστιν ἀεὶ τῷ Διΐ.* Sententiae nexus postulat ut Merops in aquilam sit transfiguratus — nam transfiguratio ipsa facta est propter vehementissimum luctum — quia bene de Iove meritus est. Hoc inesse non potest nisi in verbis *ξενίσας τὴν Ῥέαν.* Ne plura: Merops hospitio excepit in Co insula Rheam Iovem

---

commonefacimus notam rem dialecticam: *Πύτιος* pro *Πύθιος* et in Cretico titulo (Cauer del.[2] 117) et in Arcadico prope Gortynem reperto (C. I. G. 1534).

[1]) Videas quae p. 9 adn. monui. Coloniae deductae esse dicuntur a Tegeata Telepho ad Caicum, a Macareo Lycaonis filio Lesbum (Diod. V, 81). De Tenedo cf. Pind. Nem. XI, 33 sq. — Ipsius Meropis Percosii filios Adrastum et Amphium ad Sicyonem quodammodo spectare adnotavit Mayerus Gig. u. Tit. p. 38. Haec autem fere regio quantopere cum Arcadia iuncta sit demonstrant et ea quae collegi p. 6 et quod Anchises idem Arcas etiam Sicyone occurrit (Il. XXIII, 296); Solis vero filius, Aeetae Corinthii frater Aloeus, qui etiam Sicyonius est, Arcadiae regnum sortitur (Eumelus in schol. Pind. Ol. XIII, 74; cf. Mayerum l. l. p. 23).

[2]) Robertus (Erat. Catast. p. 233), quem sectatus est Maassius in scholiis Townl. edendis, censuit pro *Ῥέαν* scribendum esse *Ἥραν*, quia Hyginus astron. II, 16 et ipse Meropem de uxore mortua lugentem afferens per Iunonem in aquilam transformatum esse narrat; hoc autem verum videri, cum fidem coniugis honorare Iunonem unice deceat. Sed *Ῥέαν* in scholiorum illo loco (qui idem apud Eustath. ad l. p. 1351 legitur) haec fere defendunt: primum quod Rheae excipiendae finis apparet maxime opportunus, Iunonis non item; tum quod, si Iunonem exceptam ponimus, non iam est Meropis erga Iovem ipsum meritum, quod tamen flagitatur. — In Hygini narratione, etsi non satis mihi liquet qualis ratio inter eam et scholium coll. intersit, tamen id me paullum offendit, quod Iuno efficit transformationem aquilae, quae quidem non nisi Iovis propria est; ceterae de ea fabulae ad hunc solum attinent (cf. Hygin. l. l.).

parituram. Hanc vero fabulam non temere inventam esse docent potissimum Coa Rheae sacra (cf. p. 65). Neque ullo modo neglegi debet quod tota res ad Meropem[1]) heroem attinet; nam inde Meropes Iovis Rheae in Co insula colendorum principes apparere mihi videntur. Erant autem aliis multisque Graecorum locis de Iovis incunabulis fabulae, quae tamen ad duas potissimum vetustissimas sive Creticam sive Arcadicam Boeoticam redire videntur; et harum rursus ex altera in alteram nonnulla transierunt[2]). Iam Meropes cognovimus et hic et illic: elucet igitur quantum huius quaestionis istis vindicari possit[3]). — Sed haec tota res per se non minus cum Creta quam cum Arcadia nexum efficiat. Spectemus igitur ceteras.

2) Meropis filia apud Coos habebatur Clytia (schol. Theocr. VII, 5). Ad patriam eius indagandam certior quam ipsa dux est Clytius. Sicyoni enim et Megaris et Atticae communis servatur Clytii memoria; est autem filius Pallantis herois, qui ad Arcadiam Achaiam Atticam Euboeam aeque pertinet (cf. Kirchner. Att. et Pelop. p. 25—35). Rursus Eleae gentis Clytidarum res etiam Arcadiae septentrionalem partem amplectuntur. Auctorem enim Clytium pater Alcmaeon, filius Amphiarai[4]), genuisse dicitur e filia Phegei[5]), qui in Psophide urbe sedem tenuit (Paus. VI, 17, 6); et hic ipsum Alcmaeonem sepultum esse narrabant (Paus. VIII, 24, 7)[6]); in Elidem inde transiisse Clytium. Si quis hunc et alterum quem paullo ante attigi, eosdem ducere iam dubitat, reputet ne ab

---

[1]) Apud Clem. Alex. protr. III, 44 (Dind.) Merops inter eos numeratur qui primi ad deos omnino colendos homines adduxerint.

[2]) Totius rei singula evolvere argumenta hic longum est. Ceterum inspicias de Iovis incunabulis commentationem Schoemanni (opusc. II, 250—263) et quae de Arcadicis Rheae sacris fabulisque protulit Immerwahrius (Bonn. Stud. p. 188 sqq.).

[3]) Non omittam rerum concentum, ut opinor, haud fortuitum, quod in Epiri septentrionali parte et Iovis sacra clarissima et Meropum vestigia reperiuntur.

[4]) Perdignus est qui adnotetur locus in Co insula Ἀμφιαρῆις (Paton et Hicks, inscript. of Cos nr. 40, a); forma nominis non Ionica, sed proprie Graeca est (Bechtel, Goett. Nachr. 1890 p. 33).

[5]) Elea Clytii mater est Triphyle (Steph. Byz. s. v. Τριφυλία).

[6]) Cf. Euripideae fabulae titulum Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφῖδος.

Attica quidem abhorrere aut Alcmaeonem, Alcmaeonidarum auctorem, aut Amphiaraum Oropium, atque etiam Psophidis nomen redintegrari in Attica Psaphide[1]) prope Oropum sita. In his igitur rebus Peloponnesiaca Clytii sedes constat.

Atque etiam remotiores quaedam et Clytii et Clytiae sedes, si non omnes, tamen plures illuc redeunt. Corinthi et Sicyonis vicinitati verisimillime vindicanda est Clytia quae Solis amorem petivisse fertur (Ovid. metam. IV, 206 sq.). Nam inter celeberrimas dei sedes illa regio erat[2]).

Pandarei Cretensis filiae apud Pausan. X, 30, 2 commemorantur Camiro et Clytia; e quibus sicut illa manifeste Rhodiis demum debetur, ita huius perbene potest patria fuisse Sicyon; nam Sicyoniorum pars sub adventum Heraclidarum Phaestum, in Cretae urbem, transmigravit (Paus. II, 6, 7).

Mercurium e Clytia filium procreavisse Myrtilum, Oenomai illum aurigam, fabula est apud Hyginum astron. II, 13. Ac Mercurius Myrtilusque concurrerunt ad Cyllenen montem, id quod inde probatur quod huius herois memoria maxime Phenei, Arcadiae in urbe Cyllenae proxima, servabatur (Paus. VIII, 14, 10 sq.). Iamiam Clytiam quoque eisdem fere regionibus vindicare licet[3]).

Troiani sunt Clytius filius Laomedontis (Il. XX, 238); pater

---

[1]) Cf. Wilamowitzium Herm. XXI, 108.

[2]) In Co ipsa, de qua forte quis cogitarit, tales partes erant Clymenae. Qua mira ratione sibi respondeant Solis Clytia et Solis Clymene paulo inferius perspicietur.

[3]) Hinc Mercurii Clytiaeque nexus alias propagatus esse videtur. Quod enim Hipponax saepius pro fragmentorum numero Mercurium compellat Cyllenium, filium Maiae (frg. 1, 16, 21 A Bgk.), ille quidem poeta non ad ornandum modo sermonem ta fecisse videtur: erat potius, ni fallor, iste Mercurius vere ex Arcadicae Cyllenae vicinitate in Lydiae oram translatus. Hoc si recte statuitur, verisimillime referri potest ad eam Phliasiorum et Cleonaeorum Cyllenae monti vicinorum partem, quae Clazomenis, in Lydiae ora, consedit (Paus. VII, 3, 9). Et ipse Hipponax in hac civitate aliquantum aetatis degit (v. Bergk. Gr. Lit. II, 326 sq.). Lydiorum autem sermone Mercurius appellatus est Candaules (Hippon. frg. 1; cf. Hesych. s. v.). Has omnes res cum reputamus, veram fabulam protraxisse, non temere finxisse arbitramur Ptolemaeum Heph., cum Clytiam Lydii Candaulis uxorem vocaret (Westerm. mythogr. Gr. p. 192).

Pronomae (schol. Il. XII, 211); sodales Aeneae (Verg. Aen. passim); Tenedius est avus Tennis (Paus. X, 14, 2; coll. II, 5, 4). Atque horum omnium origo Peloponnesiaca ex eis, quae pp. 9, 10 docui, probabilis fit.

Nec quae inter Niobae filias numeratur Clytia (Pherecyd. in schol. Eurip. Phoen. 159) extra Peloponnesum quaeratur necesse est, quoniam illa sive Tantali sive Phoronei filia minime ab Argis aliena erat (cf. Paus. II, 22).

Sed haec hactenus. Porro Clytio et Clytiae numina primitus infuisse arbitror. Nam et Clytiam bis deis adiunxit fabula, Soli et Mercurio, et Clytio tribuit proavos, quorum divina vis sive constat sive satis certe etiamnunc perspicitur: Amythaonem[1]) Melampodem[2]) Amphiaraum[3]). Qui quoniam tenent inferorum deorum partes, evenit ut coniectem idem in Clytium et Clytiam cadere[4]); quorum nomini aptissime conferri potest et *Εὐκλῆς* (Hesych. s. v.) et Clymenus Clymene quos postea tractabimus[5]).

3) Cum Clytio arctissime iunctus est Butes (i. e. bubulcus); non modo is quoque Gigas[6]), sed etiam filius Pallantis. Itaque et ipsius memoria Sicyone, Megaris, in Attica consistit (cf. Kirchner. l. l. p. 24). Nec vero minus in Arcadia, id quod hisce rebus probabitur. Apollonius Rhod. IV, 914 sqq. narrat Argonautam Butam Atticum[7]) cum Sirenum cantu allectus e navi se deiecisset, in mari natantem a Venere Erycina conservatum esse, ut incoleret Lilybaeum. Porro Butes e Venere Erycem procreasse dicitur, id

---

[1]) Cf. Maassium G. G. A. 1890 p. 354.

[2]) Aegosthenis ei templum, sacrificia, dies festi erant. Paus. I, 44, 5.

[3]) Conferas velim Wilamowitzii de Oropo et Graiis commentationem (Herm. XXI, 91 sqq.).

[4]) Quod cum Clytio Gigante dimicat Hecate (Apollod. I, 6, 2), non modo meae opinioni non obstat, sed etiam confirmat quodammodo (cf. p. 15).

[5]) p. 38. Hoc si recte explicatum est, optime congruit quod apud Coos Clytia uxoris loco adiungitur Eurypylo, de quo infra videbimus (p. 23).

[6]) Tzetzes. theog. v. 95: *Κλύτιός τε καὶ Βώτης*; cf. Mayer. Gig. u. Tit. p. 259.

[7]) Hic quidem Teleontis filius; alter nec dubie idem Neptuni filius; Eteobutadarum gens Neptuni *Ἐρεχθέως* sacerdotium tenebat (vide Kirchner. p. 24).

quod aliis fabulis tribuitur Neptuno. Et hinc et illinc suo iure collegit J. Boehlavius (Bonner Stud. p. 127) Butam istum esse ipsum marinum deum Neptunum. Ac quamquam qua ratione orta sit Apollonii fabula, scil. Elymaei Atticique herois societas, difficile est pro certo affirmatu[1]), tamen primitus certe Elymaeus Butes per se constabat: hunc, sicut Elymos (cf. p. 9), ad Arcadiam recurrere mihi est persuasum. Psophide enim, in Erycis Erycinaeque Veneris sede, etiamsi Butae ipsius memoria obruta est, tamen satis esse videtur quod fabularum socius Clytius occurrit. Haec vero origo si conceditur, ne id quidem negari debet vel in Arcadia eam necessitudinem qualem diximus inter Butam ac Neptunum interfuisse.

Sed in eo est ut ad Coas fabulas redeamus. Cognovimus igitur Clytii Butaeque intimam societatem[2]) inde ab Arcadia usque ad Atticam aeque conditam; alteram huius partem agnovimus in Co insula Clytiam — indagemus Butam! Coa erat fabula de Neptuno Polybotae cuiusdam Gigantis adversario, quae vulgari Gigantomachiae ita immixta est, ut Neptunus illum inde a Phlegra h. e. Pallene per mare fugientem persecutus abscissam Cois insulae partem, quae deinde Nisyrus[3]) vocabatur, in eum coniecisse narraretur (Mayerus l. l. p. 40; 193 sqq.). Habemus igitur Polybotam qualem Butam: Gigantem, per mare natantem, cum Neptuno colligatum — at, ut videtur, tali fere ratione ut eum quoque ipsum Neptunum esse fortasse quispiam neget. Sed recordemur heroes

---

[1]) Wilamowitzius (Heracl. I, 281, adn.) opinatur illam post Siciliensem Atheniensium expeditionem confectam esse ab horum sociorumque Elymorum adversariis, potissimum Syracusanis.

[2]) Haec non mittenda est cum de deis marinis et inferis saepius congressis quaestio fit. Butam et cum Aegle Coronide et cum Chthonia consociatum recte explicavit Boehlavius (l. l. p. 134, 137); idem etiam Neptunum qui vocatur φυτάλμιος apte attulit (p. 138). Addere liceat Neptuni Cererisque societatem Arcadicam cf. p. 7[4]), nec non Chthonium Neptuni et Symes filium (Diod. V, 53). — Hac ratione explicari iam patet (ut anteeam disputationis cursui) 'Cererique sacrum Polyboten' (Verg. Aen. VI, 484) Troem, primitus vero sive ipsum Coum sive Arcadem; aliam rationem sibi finxit Mayerus p. 43.

[3]) Cf. Coam gentem Nisyriadarum: Paton et Hicks, inscr. nr. 368, col. VI, 38; Dubois, de Co insula p. 35.

quosdam et heroinas ab ipsis deis ductos saepe in fabulis adversarios eis opponi. Velut in ipsa Gigantomachia Minerva ⟨*Ἐγκέλαδος*: Hesych. s. v.⟩ contendit cum Encelado Gigante; nec aliter Diana sagitta perforat Callisto, et quae sunt similia. Minime igitur obstat ista res, immo confirmat quae demonstrari velim: Coum Polybotam tam deum Neptunum quam Peloponnesiacum heroem Butam[1]) complecti[2]).

4) Habemus hunc titulum Coum tertio fortasse a. Chr. saeculo conditum (Ross. J. G. J. III nr. 309; Paton et Hicks nr. 349) *ἱερὰ ἃ γᾶ καὶ ἃ οἰκία ἃ ἐπὶ τᾷ γᾷ καὶ τοὶ κᾶποι καὶ ταὶ οἰκίαι ταὶ ἐπὶ τῶν κάπων Θεῶν Δυώδεκα καὶ Χαρμύλου ἥρωος τῶν Χαρμυλέων*. Ab isto heroe Charmylo non modo *τῶν Χαρμυλέων*, nimirum gentis vel demi, ductum est nomen, sed etiam eius loci, ubi titulus repertus est, inter Antimachiam et Con urbem siti, qui etiam nostra aetate 'Charmyli'[3]) vocatur; nec minus hominum[4]) quorundam nomina ad eum pertinent. Fabulis vero memoria eius non est prodita. Tamen qualis fuerit heros si quis inquiret, ei inprimis tenendum est nomen Charmylum hypocoristice esse conformatum neque ita aliud quicquam significare quam si quae stirpem *χαρμ* — quacunque ratione terminant: dico eum qui delectat. Videbis quo tendam. Jupiter cognomine Charmon colebatur apud Mantineam Arcadiae (Paus. VIII, 12, 1). Charmas erat pater Euandri (schol. Dionys. perieg. 348) Arcadici herois, quem Pallantii inter Megalopolim et Tegeam sedem tenuisse plerique tradunt (Paus. VIII, 44, 5; alii). Et Charmae subest numen. Nam Mer-

---

[1]) Ultro commonefacio hunc etiam Botam nominari (p. 13, 6). cf. *συβώτης*. Polybotes (sic semper vocatus) ad Botam sicut Eteo (Peri)-clymene(us): Clymene(us) (vide p. 36 sq.); porro conferas Maassium Herm. XXIII, 621.

[2]) Boehlavius (l. l. p. 127, 7) hanc ipsam rem hisce verbis attigit: »Vielleicht ist auch der Gigant Polybotes, der 'Herr vieler Rinder' und ein alter Meeresgott gleich dem Butes. Dazu würde seine Flucht durch das Meer passen.«

[3]) Vide Rossium l. l.; Patonius tribuit demo Halenti.

[4]) Coorum haud pauca nomina videas in Patonii ind. p. 388; porro occurrunt, qua re herois sacra in vicinos locos propagata esse evincitur: Rhodii Charmylus Charmylias (bull. de corr. XIV, 278 sq.; X, 255, 258); Halicarnassensis Charmylus (C. I. G. nr. 2656).

curius quoque Euandro pater tribuitur (Paus. VIII, 43, 2); vocatur autem *Χαρμόφρων* (hymn. Homer. III, 127; Hesych. s. v.): quid plura? apparet Charmam illum proprie esse Mercurium Charmophronem. Habemus igitur idem fere cognomen — quod alias nusquam reperitur — et Iovi et Mercurio ab Arcadibus [1]) inditum. Similes autem sunt dei. Juppiter enim concurrebat apud Arcadas cum Aristaeo [2]) (Serv. ad Verg. Georg. I, 14), deo pervetusto qui prosperitatem ac fertilitatem dat agris pecudi venationi. Eadem vero vi erat Mercurius, quippe qui pecudes curat ac fertilitatis signum prae se fert ithyphallum. Huc igitur refero Coum heroem Charmylum, sive eum fingimus, sicut multos, e deorum cognomine ductum, sive obscuratum quodammodo esse ipsum deum, qui rursus cum Jove et Mercurio similibus confluxerit. Et hoc, quales sunt res, mihi quidem magis probatur.

5) Haec habeo certiora argumenta; adnectam quae per se haud ita multum valent, tamen si illis confidis, optime congruunt. Quod enim Coi Meropis uxor Echemea [3]) sagittis a Diana fixa, filia autem Titanis in cervam ab eadem dea transformata [4]) esse fertur,

---

[1]) Cf. viros Charmum Arcadem (Anthol. Pal. XI, 82) et Charmylum Arcadionis cuiusdam filium (Athen. X, 436 D).

[2]) Huc attinet quod Aristaeo filius est Charmus, quem genuisse fertur in Sardinia (Diod. IV, 82), sive e Ceo (Serv. ad Verg. Georg I, 14), sive quod veri est similius, e Libya eo pervenit (Diod. l. l.; Studniczka, Cyrene p. 136). Ceum vero Aristaeus translatus est ex Arcadia (O. Mueller. Orchom. p. 348; Dor. I, 281 sq.); nec non in Libya-Cyrene Arcadicae res multum valebant (nec minime Mantinenses; Studniczka p. 15, 120): licet igitur coniectare Aristaei filium Charmum Arcadiae deberi.

[3]) *Ἐχέμεια* scriptum invenitur in Etym. M. p. 507, 55; 'Echemea' in Hygini astron. II, 16 (ed. Bunte) vetustissimo codice Dresdensi; 'Ethemea' in ceteris huius libri codd. Apparet unice scribendum esse 'Echemea', quae vox Latinis litteris depicta facile corrumpi potuit in 'Ethemea'.

[4]) Fabula strictius attingitur in versibus Euripideae Helenae 382 sq.: *ἄν τέ ποτ' Ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο χρυσοκέρατ' ἔλαφον Μέροπος Τιτανίδα κούραν καλλοσύνας ἕνεκεν.* Et pro *ἐξεχορεύσατο* recte, opinor, Mayerus p. 39 proposuit *ἐξεχορήσατο.* Proiectius tamen censuit hanc fabulam eandem esse quam Ovidius met. VII, 363 sq. non minus stricte attulit. Non modo enim Ovidiana sunt per se obscuriora, quam ut nobis tale quid iudicare liceat, sed etiam obstant quae Lactantius ad l. adnotavit (Ovid ed. Buerm. tom. II, 486): 'Coae matronae in cornutas boves transfiguratae sunt propter affectum quod Veneri suam formam anteposuerunt'.

non modo Dianae partes, qualescunque sunt[1]), ad Arcadiam, ubi inter principes erat deos, spectare possunt, sed etiam et Echemeae et Titanidis nomen. Nam illud non obiter fortasse provocat Echemum Tegeatam; Titanibus vero non minus quam Gigantibus, sic ut paucae regiones, abundabat Arcadia (cf. Mayerum p. 57 sqq.). — Eodem fere redit, cuius nomen rivulo septentrionalis Messeniae erat (Paus. IV, 33, 6), Titan Coeus. Inter voculas *Κοῖος* et *Κῶς*[2]) qualis ratio grammatica intersit non certe constat. Nec quod Coeum Argivosque Cois insulae vetustissimos cultores appellasse fertur Claudius imperator Romanus apud senatum verba faciens (Tacit. ann. XII, 61) ita multum fidei attrahit. Certius vero Coi insulae Coeus vindicari posse inde videtur, quod ibi Phoebam (e Coeo: Hesiod. theog. 404 sqq.; alii) peperisse Latonam reapse fabula apud Coos erat. Reperitur haec in Herodae mimiambis (ed. Lond. 1891) nuper in papyro repertis, quos antequam iuris publici facti sunt, legere mihi licuit per benignitatem viri docti F. G. Kenyon Londinensis; ad Con sese referendos esse ipsi ad oculos demonstrant. Etenim leno quidam Battarus apud publicos iudices verba pro se faciens cum incitat eos, ut iudicium edant vetere Coorum laude dignum, exclamat (II, 95 sqq.):

νῦν δ(ε)ίξετ᾽ ἢ Κῶς χὠ Μέροψ κόσον δραίνει
χὠ Θεσσαλὸς τίν᾽ εἶχε χἠρακλῆς δόξαν
χὠσκληπιὸς κῶς ἦλθεν ἐνθάδ᾽ ἐκ Τρίκκης
κἤτικτε Λητοῦν ὧδε τεῦ χάριν Φοίβη.

Hae omnes sunt fere res quae demonstrent Coi insulae interfuisse olim cum Arcadia Peloponnesique parte septentrionali haud exiguam necessitudinem: reddunt igitur veri simillimum etiam Meropum nationis Coam partem inde exiisse.

---

[1]) Dianae Minervae Mercurio repugnasse Eumeli, Meropis Coi filii, liberos Agronem Meropidem Byssam enarrat Boeo (apud Anton. Liber. XV). At tota huius narratio ita ornamentis poeticis abundat, ut quid rerum inde certe sumi possit, vix mihi constet. Videtur autem non nisi agrestium hominum acris imago expressa esse.

[2]) *Κώως* apud poetas tantum adhibetur; subesse igitur potest epicus usus distractionis.

II.

DE ASCLEPIADIS ET AEACIDIS.

1) Aesculapii filios Machaonem et Podalirium Coi ita sibi devinxerunt, ut et auctores ipsorum[1]), a quibus medicorum potissimum Coorum totus orbis ductus sit[2]), eos esse affirment et matrem Epionen[3]) filiam Meropis i. e. Coam faciant[4]). Ac Podalirium primitus Carum nationis fuisse, inde in vicinam Con insulam propagatum esse probavit Wilamowitzius (Isyll. p. 50 sq.). Idem mihi persuasit a Cois et Machaonem et Podalirium in epica carmina esse introductos; in quibus quoniam Thessali vocantur heroes, rursus concludendum est Coos ipsos suorum Aesculapii sacrorum e Thessalia originem petivisse[5]). Hoc nunc optime

---

[1]) Aristid. orat. in Asclep. tom. I p. 74 (Dind.).

[2]) Cf. Dubois de Co ins. p. 47 sqq.

[3]) Cf. p. 57. Eiusdem simulacrum Pausania II, 27, 5 teste Epidauri erat intra sacrum Aesculapii lucum; tamen in fabulis Epidauriorum hymnisque potissimum Isylli neque Epione neque Aesculapii filii omnino partes tenent, unde paullum deterremur ne putemus Epidauro Epionen ad Coos translatam esse. Num vero recte Widius (de sacris Troez. p. 57) statuerit vel in Thessalia illam cum Aesculapio consociatam fuisse dubius sum.

[4]) Schol. Il. IV, 195. — In epistula Ps.-Hippocratea (Littré IX, p. 324) Epione Herculis filia vocatur.

[5]) Vulgo dominata est opinio Aesculapium a Cois tum demum coli esse coeptum, cum Epidauro coloni eo pervenissent. Adiuncta tamen sunt Epidauria dei sacra Thessalicis. De nexu qui Epidauriis cum Coo Aesculapio intercedebat videas Paus. III, 23, 6: (*Ἐπιδαύριοι*) *πλέοντες ἐς Κῶν παρὰ τὸν Ἀσκληπιὸν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ . . . . . δράκοντα ἐπαγόμενοι.* — Optime Wilamowitzius l. l. p. 54 sqq. pluribus exposuit et Peloponnesiacas quoque dei sedes, Epidaurum potissimum ac Messeniam, e Thessalia sacra accepisse et quos haud paucis Peloponnesi locis vocant filios Machaonis, qui aut Aesculapii templa inaugurasse dicuntur aut ipsi sanandi numinum partes ac sacra retinent, propria primitus Peloponnesiorum numina fuisse. Ad hanc rem addere mihi liceat etiam propter nomina facile illa adiungi potuisse Machaoni, cuius nomen significare eum qui pugnat semel dictum fidem adipiscetur (cf. *Ἀυχάων*, *Ἰκετάων*, *Ἑλικάων*). Sunt vero etiam Peloponnesiis istis numinibus omnibus fere nomina quae ad pugnam vel arma attinent: *Πολεμοκράτης* (Paus. II, 38, 6); *Ἀλεξάνωρ* (l. l. et II, 11, 5); *Νικόμαχος* (Paus. IV, 3, 10; 30, 3); fortasse etiam *Σφῦρος* (Paus. II, 23, 4), quocum conferas *Σφυρόμαχος* i. e. qui malleo

confirmatur Herodae versibus quos supra attuli (p. 17); diserte enim Coorum fabulam exprimunt verba (II, 97): χώσκληπιὸς κῶς ἦλθεν ἐνθάδ' ἐκ Τρίκκης. At qualis fuit Thessala ista natio quae in primis Aesculapio colendo studuit? O. Muellerus Phlegyarum deum fuisse eum dixit; dici tamen potest etiam Lapitharum, qui illis maxime erant propinqui (Orchomen. p. 196 sqq.). A Lapitha enim, Apollinis ac Stilbes filio, ducitur Aesculapius apud Eustathium ad Il. II, 732; Tricca autem heroina, quae a celeberrima eius filiorumque sede nomen accepit, a Peneo ac Lapitharum principis Hypsei quadam filia natus esse traditur[1]). Itaque cum praesertim exstent Lapitharum Thessalicorum vestigia si minus apud ipsos Coos, attamen et in Triopio promontorio et in Rhodo insula[2]), valde est probabile etiam in Con insulam illius partem nationis deum suum propagasse.

2) Ne Aeacidis quidem, Achaeorum Thessalicorum heroibus, Cos insula caret. Etenim Peleus a Molone quodam Abante ibi exceptus esse ac deinde mortem obiisse dicitur[3]); Achilles vero,

---

pugnat. ⟨Simile quid prae se fert Atheniensis Ἄλκ-ων (p. 28) atque ex Cerealium heroum numero, ut Maassius me monuit, Τριπτόλεμος Eleusinius.⟩ At non necesse est vim eorum ac naturam angustis inclusam fuisse finibus quos nomina indicare videntur, quippe quae, ut consentaneum est, saepius numinum unam modo partem exprimebant. Quid? quod ipse Aesculapius eis qui colebant a bellando non ita plane abhorrere videbatur, cum splendidis munitum armis Dorum patronum ac defensorem exstitisse eum narrarent (Isylli carm. p. 23 Wilam.).

[1]) Cf. O. Mueller. Orchom. p. 199. — Hic commemoretur Asclepiadas in 'Nostis' carminibus una cum Lapithis ire. cf. Wilamowitzium Isyll. p. 53.

[2]) Triopae, quem fabula et Cnidio promontorio et Thessaliae adnectit, eadem quam Aesculapii dixi genealogia tribuitur (Diod. V, 61). Rhodius vero heros Phorbas, quem ex Thessalia in Rhodum insulam pervenisse dicunt, et ipsius Triopae filius e Thessala muliere natus (Hygin. astr. II, 14 e Polyzelo Rhodio; cf. Hom. hymn. Apoll. Pyth. 33; Baumeister. p. 148) et Lapithae filius vocatur (Diod. V, 58 e Zenone Rhodio, ut videtur, qui a Polyzelo in quibusdam rebus discedit). Rursus Triopas in Rhodia fabula Phorbantis filius appellatur (Diod. IV, 58; cf. schol. Theocr. XVII, 69) et ita redit in Argivorum veterum regum stemmate (Paus. II, 16, 1). Eleus vero Phorbas Lapitha ad Thessaliam refertur apud Diod. IV, 69. — Ceterum de Phorbante Rhodio conferas A. Beckerum de Rhodiorum primordiis (commentationes Jenens. phil. II, p. 117 sqq.).

[3]) Schol. Euripid. Troad. 1128; Callimach. in schol. Pind. Pyth. III, 167 (frg. 372 Schneid.); cf. O. Mueller. ind. schol. hib. Gott. 1838 p. 5; Wilamowitzium Isyll. p. 53.

etsi vix quidquam per se valet Ptolemaeus Heph., minimae fidei auctor, cum Epicharmum poetam natu Coum[1]) ab illo heroe genus sumpsisse prodit[2]), tamen haud ita immerito huc adscisci propterea videtur, quod in vicinitate Cois insulae constat. Nam et Cariae oppidum Bargyliam eum condidisse fabula erat (Steph. Byz. s. v. *Βαργ.*) et in Astypalaea insula sacra eius reperiuntur[3]). Sane Achilles quidem etiam alias habuit sedes, veluti in Laconia potissimum, Erythris (Dittenb. syll. 370), ad Pontum; tamen ut non horum locorum ex quovis, sed ex ipsa Thessalia eum quem diximus repetamus, maxime, opinor, Peleus suadet[4]).

III.

DE EURYPYLO.

Eurypyli urbs Cos appellatur B 677; tametsi ipse in eorum numero qui contra Troiam ducunt, Heraclidis Antipho et Phidippo cessit. Vetustiorum autem Cois insulae incolarum qui ante Heraclidas consederunt Eurypylum fuisse inde potissimum perspicitur, quod

---

[1]) Etiam in titulis Cois nonnunquam hoc nomen reperitur: Paton et Hicks inscript. nr. 10d[34]; 10d[40]; 387.

[2]) Phot. bibl. p. 147 Bekk., Westerm. myth. Gr. p. 185, 17.

[3]) Cicer. de nat. d. III, 18, 45. Nescio num recte O. Muellerus l. l. p. 8 a Cois ea illuc perlata esse censuerit.

[4]) Coi cuiusdam loci nomen *Πέλη* nuper in lucem prodiit (Paton et Hicks inscr. nr. 344 = bull. de corr. XIV, p. 297); atque item fere *Πέλεια* Cariae urbs vocata est (C. J. A. I nr. 230 sqq.), quam supra Con sitam fuisse arbitreris collatis oppidis eis, inter quae afferri solet. Quid? idem nomen (*Πέλη*, *Πέλεια*) Thessaliae duobus oppidulis erat, quorum alterum Eurypylo, alterum Achilli a Steph. Byz. s. v. addicitur. Ac si quis a se impetrat ut eponymum huc referat heroem clarissimum Peliam, ei efficitur ut Jolco, ubi ille sedem habuisse vulgo dicatur (Odyss. XI, 256; alias) proxima fuerit altera quidem Pele: sic rursus facile fieri poterat, ut Ormenii Eurypyli regno adnumeraretur (v. p. 21; conferas etiam Tuempelium alia ratione usum in Philol. XLIX 1890 p. 714 sq.). Altera vero Achillis Pele nihil est quod non collocetur inter ceteras Myrmidonum urbes, scil. in Phthiotidis ora Maliaca (cf. Strabon. VIII, 435). Sed quales sunt res, utrum una cum Eurypylo an Achille illud nomen Con perlatum sit discerni nequit.

contra Herculem contendisse atque occisus esse fertur[1]). Hac fabula gravium quorundam certaminum imago expressa est, quae in insula occupanda illi nationi subeunda fuerunt, quae Herculem venerabatur[2]). Filiam Eurypylo Chalciopen, e qua Hercules Thessalum genuerit, esse datam[3]) apparet, ut Heraclidarum gens cum vetustiorum incolarum heroibus consanguinitatis vinculo iuncta sit. Porro Eurypylus Neptuni filius esse traditur et Astypalaeae[4]), quae certe nomen duxit a vetustiore civitate insulae in minore parte quae ad occidentem vergit sita[5]). Cogitari inde potest istam nationem, cuius et Eurypylus et Neptunus erant, his potissimum locis consedisse[6]). Quae qualis fuerit undeque profecta sit ex ipsa Eurypyli persona perscrutandum est.

Thessalum reperimus Eurypylum Euaemonis filium in Homericis carminibus insignem. Regno eius addicuntur B 734 sqq. inprimis Ormenium, urbs Magnesiae sub Pelio monte prope Jolcum sita (Strabo VIII, 439) ac Pherae[7]). Et sunt alii auctores qui et se-

---

[1]) Apollod. II, 7, 1; schol. Il. XIV, 255 (historia Pherecydi tribuitur); amborum tota narratio usque ad hanc rem non obiter congruit, deinde discedit.

[2]) Patonio (inscript. of Cos p. 347) haec fabula visa est non apud Coos orta, sed vel eadem esse quae de Hercule et Euryto Oechaliensi narratur. Tamen et plures exstant fabulae de Hercule cum heroibus quibusdam dimicante nec semper Eurytus Eurypylusque commisceri debent (vide p. 23, 4).

[3]) Schol. Il. XIV, 255; cf. schol. Pind. Nem. IV, 40; perturbatione facta in schol. D Il. II, 677 et apud Eustathium ad l. Eurypylus Herculis et Chalciopes filius vocatur.

[4]) Apollod. II, 7, 1; cf. schol. Il. XIV, 255.

[5]) Vid. Dubois, de Co insula p. 19 sq.

[6]) Neptunus etiam in Triopio promontorio colebatur (schol. Theocr. XVII, 69). Eodem attinet Ceres, in quam Triopas aut ipse peccavisse dicitur (Diod. V, 61; Hygin. astron. II, 14) aut filius eius Erysichtho (Callim. hymn. Cer.; Steph. Byz. s. v. *Τριοπ.*). Hanc vero deam Eurypylus uxorque Clytia quaerentem filiam hospitio excepisse feruntur (schol. Theocr. VII, 5). Sed de natione inde certi aliquid erui nequit, quoniam Eurypyline an Clytiae fuerit dubium est.

[7]) Hypeream quam affert Ilias fontem esse Pheraeum affirmat Strabo VIII, 439. Cf. Pind. Pyth. IV, 125. — Seorsum sita sunt eiusdem regis propria Asterium ac mons Titanus. Hic teste Strabone l. l. apud Arnen fuit, Thessaliotidis urbem, quae postea Cierium (Bursian. G. Gr. I, 73); nec multum aberat Asterium, quod recentiore aetate Piresia vocabatur (Bursian. I, 74). Si quis miretur quod haec loca ab Ormenio Pherisque nimis absunt, respiciat Aristaeum qui et ad Pelium, quoniam Cyrenes

pultum esse eum Ormenii[1]) et aut avum Ormenum[2]) aut filium Pheretemque nepotem[3]) ei fuisse tradunt. Haec igitur regio constat. Iam altera quaedam quae huc pertinent proferam. Eurypylus idem cuius filium et nepotem commemoravi, patre utitur non Euaemone, sed Hyperocho. Quid? quod hac re immiscetur[4]) Hyperboreorum fabulis, quibus vetustissimam inter Apollinis sacra Delphica Deliaque ac Thessalica necessitudinem subesse perspexit Odofredus Muellerus (Dor. 1, 267, 272)[5]). Ἐξ Ὑπερβορέων enim Hyperochum heroem advenisse Delphos narrabant[6]); Hyperboreum nomen[7]) Apollinisque sacra reapse cum Delphis iuncta[8]) constabant Pagasis potissimum et Pheris: inde, opinor, probatur Hyperboreum fuisse Hyperochum qui Eurypylo patris loco adiunctus est. — Sed exstat etiam altera similis res. Hyginus enim (fab. 97) vocat Eurypylum Euaemonis filium et Opis, quam O. Muellerus (Orchom. p. 348[2]) fertilitatis deam quae Latine Ops nominatur interpretatus est. Sed Latina talis interpretatio priusquam ad Hygini librum adhibetur, alia ratio spectanda est. Graecam quam Ὦπις vocant agnosco, quae e cognomine Dianae ducta est[9]). Quae cum rursus inter eas virgines habeatur, quae ex

---

filius est educaturque a Chirone, et ad fluvium Thessaliotidis Apidanum collocatur (Apoll. Rhod. II, 506 sqq.).

[1]) Ps. Aristotel. pepl. ep. 22 (Bgk.).

[2]) Demetrius Sceps. apud. Strabon. VIII, 439.

[3]) Acusilaus (?) in schol. Pind. Olymp. VII, 42.

[4]) Immixtus est etiam Heraclidis Thessalis scil. Aleuadis. Cf. Boeckhii explic. Pind. Pyth. X. prooem.

[5]) Post eum Crusius (Roscher. M. L. s. v.) ea potissimum explicavit quae in illis fabulis ad certa Graeciae loca eaque diversissima spectant; vereor autem ne etymologica ratione adhibita cum eos omnino Hyperboreos significari contendat quicunque Apollinis sacra teneant, aliquantum detrimenti rei fecerit.

[6]) Sunt alii heroes Delphici qui Phthiotidem indicant: Laodocus (Paus. X, 23, 2); item enim vocatur filius quidam Apollinis et Phthiae (Apollod. I, 7, 6); Pyrrhus isque Achillis filius (Paus. I, 4, 4; X, 23, 2); Phylacus (Herod. VIII, 39; Paus. X, 8, 7), qui eponymus Phthiotici oppidi Phylaces ducendus esse videtur.

[7]) Παῖδες Ὑπερβορέων Παγασός καὶ δῖος Ἀγυιεύς Boeo apud Paus. X, 5, 8; de Pheris cf. Crusium l. l. p. 2809.

[8]) Vid. O. Mueller. Dor. I, 204 sq.

[9]) Ὦπις Diana eaque Ephesia vocatur ab Alexandro Aetolo (apud Macrob. sat. V, 22, 4); Opim in comitibus Dianae numerat Verg. Aen. XI, 532, 836 (gen.

Hyperboreorum terra Delum pervenisse dicuntur[1]), idem in hanc cadit quod in Hyperochum Hyperboreum: scil. eisdem fere Thessaliae locis vindicari potest. Nec casu evenit ut maximae partes fuerint Dianae et Jolci[2]) et Pheris[3]). — Sed haec de Ormenio Eurypylo. Alteram sedem heroi fuisse ad Tymphrestum montem et Maliorum in finibus[4]) e Lycophronis vv. 895 sqq. exploravit Maassius (G. G. A. 1890, p. 343 sq.). Idem et Peloponnesiaca Eurypyli vestigia ostendit et, quod ad quaestionem nobis propositam gravissimum est, Minyarum nationis eum proprium fuisse Orcumque significare aliquantum probavit (l. l. p. 345 sq.).

Libyae regis Eurypyli ad originem indagandam certum offert fundamentum ipsius herois cum nympha vel potius dea Cyrene societas. Haec enim primo in Thessalia reperitur ad Pelium Jolcum; sed ne inde illos ducamus vel id paullum deterret, quod Thessalus Eurypylus Euaemone vel Hyperocho, Libys Neptuno

---

Opis). Callimachus hymn. Dian. 204 ita deam compellat: *Οὖπι ἄνασσ' εὐώπι.* Estne e voce *εὐώπις* decurtata *Ὤπις*? Tamen qua ratione *Οὖπις* ad hanc referatur nescio. — Attendendum est heroinam Dianeam matrem factam esse Eurypyli, non ipsam deam, cuius quidem virginitas, sicut Minervae, in Graecorum fabulis quales nobis nunc exstant prorsus fere dominatur.

[1]) Herod. IV, 35: *Ὤπις* (cuius sepulcrum ad Dianae templum). Callim. hymn. Del. 292: *Οὖπις.*

[2]) Apollon. Rhod. I, 571 sqq.; *Ἄρτεμις Ἰωλκία*; Mitteil. d. athen. Inst. VII, 71 sq.

[3]) De Diana Pheraea Sicyone, Argis, Athenis culta: Paus. II, 23, 5.

[4]) Hoc quidem concessit etiam Tuempelius (Philol. XLIX 1890 p. 730 sqq.) ceterum Lycophronis versus alia paullum ac Maassius ratione interpretatus. Utrum Lycophro lupi quod vocatur lapidei signum reapse inter Locridem Phocidemque an in Phthiotide subaudiverit dubius sum; porro etsi de locis quos v. 905 sq. (*Ἱρόν τε καὶ Τρηχῖνα* etc.) poeta affert, ultra Maassium aliquid recte divinasse Tuempelius mihi videtur, tamen mire erravit de vocula *Περραιβικήν*, quam Gonno adiungendam esse patet. Nonne aptissime totus locorum orbis rursus tripartito ita distribuitur, ut Irus et Trachis Malidis Eurypylo, Gonnus et Phalanna Guneo, Oloosson et Castanaea Prothoo (v. Maass. l. l. p. 344) addicantur? — Illis locis vicinus Eurypylo erat Eurytus Oechaliensis; utrique tributa est filia Dryope (cf. p. 45). Hic igitur commisceri poterant, ac quod Phylarchus (schol. Apoll. Rh. IV, 1561) Cyrenaeum heroem, qui vulgo Eurypylus, vocat Eurytum, id quoque indicio est hinc illum Cyrenen esse translatum.

patre[1]) utitur. Adeamus igitur ad alteram Eurypyli sedem Maliaco sinui circum Lamiam adiacentem, ubi Cyrenes vestigia fixit Maassius l. l. Atque huius regionis regem Eurypylum e Troico bello redeuntem deversum esse in Libyam Lycophro tradit; inde porro Neptuno orta Lamia, quae ab urbe nomen duxit eiusque filia eodem pervenerunt. Quibus rebus Cyrenaei quidem Eurypyli patria satis probatur.

Iam indidem originem Cous heros propterea videtur sumpsisse quia ipsi quoque Neptunus pater est[2]). Et exstat aliquid quo haec opinio quodammodo confirmetur. Lamus enim, Herculis Omphalesque filius, Lamiae urbis eponymus[3]) fabula quadam copulatus est cum Bargaso, item Herculis filio[4]), cuius nomen petitum est a Bargasis, Cariae urbe maritima adversus Con sita. Haud igitur procul et ille conditus sit necesse est. Reperitur porro fluvius idemque (vel Lamia) locus quidam prope Solos Ciliciae[5]), ubi Lindi Rhodiae urbis incolae pedes olim fixerant[6]). Quibus rebus ut cognoscimus homines quosdam e Lamiensi agro profectos in Cois insulae vicinitate habitasse, sic iam veri fit simillimum reapse inde e Maliaco sinu Eurypylum Minyam[7]) ad Coos[8]) esse translatum[9]).

---

[1]) Pind. Pyth. IV, 33; alii. Mater quae ei datur ceterique affines debentur Peloponnesiis, inprimis Arcadibus, qua re expressus est nexus eorum cum reliqua parte vetustiore incolarum factus. Cf. Studniczka, Cyrene p. 120.

[2]) Statuit hoc Maassius l. l. p. 347.

[3]) Steph. Byz. s. v. *Λαμία*.

[4]) Steph. Byz. s. v. *Βάργασα*.

[5]) Strabo XIV, 671; Steph. Byz. s. vv. *Λάμος Λαμία*.

[6]) Strabo l. l.

[7]) Cf. Maassium Herm. XXVI 1891 p. 180, 2. Peloponnesiis Minyis deberi videtur gens Coa *Νεστορίδαι* (Paton et Hicks inscr. nr. 37, v. 53).

[8]) Ad Coum Eurypylum alii rursus heroes haud scio an referendi sint. Etenim in Argolide Eurypylus et Temeni filius vocatur (Apollod. II, 8, 5) et unus ex Eurysthei, Herculis illius adversarii, filiis qui ab Hercule trucidantur (Anticlid. apud Athen. IV, 157 f.). En fabula Coae simillima nec forte simillima! Quae si re vera primum a Peloponnesiis excogitata sit, indicare videatur Eurypyli nationem sc. Minyas in Argolide certamen cum Heraclidis adversum subiisse idque, quoniam Eurypylus adiunctus est Eurystheo, post fabulas de Hercule et Eurystheo ortas, h. e. postquam Heraclidae Argolidem occupaverunt. At hoc eis quae adhuc de illarum gentium rebus temporibusque antiquissimis comperimus, parum convenit. Contra

IV.

DE CHALCODONTE ET CHALCIOPE.

Eurypylo Herculis adversario orti esse a Cois dicuntur qui et ipsi cum Hercule colligantur: filii Antagoras[1]) et Chalcodon (vel Chalcon)[2]) contra eum dimicantes; filia Chalciope uxoris loco ei adiuncta[3]), quod tamen non impedit, quin ut illos ita hanc ab ea natione quae Herculem colebat alienos ducamus.

---

facile res explicatur, cum Argolicam Eurypyli fabulam ponimus confectam esse e Coa: quam ubi Dorici coloni in patriam rettulerunt, non fieri poterat quin Eurypylus, quoniam Argivorum in fabulis Herculis adversarius dominabatur Eurystheus, filius huic tribueretur. — Diversa vero Dorum ratione, quam etiam de Merope heroe agnovimus (p. 6), factum est ut eundem Eurypylum inimicitiis Herculis sublatis in Heraclidarum numerum receptum Temeno filium darent. — Multo incertior res esse mihi videtur de Telephi filio Eurypylo, qui ad Mysiae flumen Caicum Ceteis quos vocant imperat. Hic quod in epicis carminibus Machaonem et Nireum Symaeum occidisse (Quint. Smyrn. VI, 393 sqq. et Pausan. III, 26, 10 e parva Iliade; Quint. S. VI, 372 sq.), ipse rursus a Neoptolemo, Achillis filio, occisus esse dicitur (Odyss. XI, 519 sq.; Hygin. fab. 112; Quint. S. VIII), Cous statuitur a Wilamowitzio (Isyll. p. 53). Tamen de eodem heroe afferuntur alia quaedam haud pauca quae aperte discedunt; interficit enim etiam Peneleum, Echemmona, Eurytum, Menoetium, Harpalum, Bucolionem etc. quod, ni fallor, mediae Graeciae ac Peloponnesi quasdam fabulas indicat (Quint. S. VI, VIII). Videntur igitur in epicis istis carminibus ad Telephi filium diversorum Eurypylorum vel potius diversarum eiusdem specierum fabulae congestae esse. ⟨Conferas quod Apisaonem Troianum ab Eurypylo (Thessalo) interfectum (Il. XI, 578) ad Peloponnesum rettulit Maassius G. G. A. 1890 p. 346.⟩ Quam ob rem vereor ne vera eius unaque origo vix demonstrari possit.

[9]) Eumelum Coum Meropis filium (Boeo apud Ant. Liber. XV; cf. p. 17) Thessaliae vindicat Patonius (inscr. of Cos p. 346), cum Admeti Pheraei filium indicare eum censet. Hoc recte se habere potest, quamquam quae stabiliant argumenta prorsus desunt. Neque enim nexus, quem inter Eumelum et Eurypylum intercessisse dicit vir ille doctus, demonstrari posse neque quae de Eumelo in Hygini astron. II, 16 narratione Meropis loco subaudiendo ac de Admeteae fabulae similitudine contendit, probabilia esse mihi videntur.

[1]) Herculis adversarius: Plut. qu. Gr. 58; Eurypyli filius: schol. Theocr. VII, 5.

[2]) Herculis adversarius Chalcodon: Apollod. II, 7, 1; Eurypyli filius Chalcon, cuius statua ad Burinnam fontem Coum erat: schol. Theocr. VII, 5. Eosdem habendos esse vel Heynius ad Apollod. l. l. adnotavit.

[3]) V. p. 21, 3.

De Antagora nihil porro compertum habemus[1]). Chalcodon vero pluribus tractandus est.

Inter omnes constat Euboicus Chalcodon, qui sicut pater Elephenoris est, Abantum qui Troico bello interfuerunt ducis, ita ipse Abantis herois filius vocatur[2]). Abantes autem Aristotele teste (apud Strabon. X, 445) Thracia gente nati Abis, Phocidis ex urbe, in Euboeam transierunt; ibi circa Chalcidem potissimum eos consedisse haecce indicio sunt. Primum enim Chalcidis erat tribus quam vocant Ἄβαντίς, quae etiam imperatorum Romanorum aetate retinebatur[3]). Deinde quae Abantis herois eponymi e Neptuno mater appellatur Arethusa[4]), pertinet ad fontem Chalcidensem[5]). Extremum Abantiades qui vocatur Canethus a monte prope Chalcidem sito nomen accepit[6]). Ita igitur Chalcodon Abas ad Chalcidem urbem accedit, ut faciam cum viris doctis qui eum non nisi eponymum Chalcidis heroem esse contenderunt[7]).

Euboicus is diserte appellatur Chalcodon, cuius a Thebanorum rege Amphitryone occisi sepulcrum ostendebatur ad viam quae Thebis per Teumessum ducebat Chalcidem[8]). Locorum nexu quae subsint res facile intellegitur[9]).

---

[1]) Ab eo nobiles gentes Coas genus duxisse traditur in schol. Theocr. VII, 5. Conferas sis Antagoram Coum patrem Hegetoridis, qui Pausaniae regis hospes erat (Herodot. IX, 76 = Paus. III, 4, 9).

[2]) Il. II, 536; schol. et Eustath. ad l.; schol. Lycophr. 1034.

[3]) V. titulum apud Le Bas, voy. arch. nr. 1587.

[4]) Steph. Byz. s. v. Ἄβαντίς.

[5]) Eurip. Iphig. Aul. 170; Strabo I, 58; X, 449.

[6]) Apollon. Rh. I, 77 sqq. et schol., Strabo X, 447.

[7]) Maassius (Herm. XXIII, 620), Toepfferus (Att. Gen. p. 163), Patonius inscr. p. 345. Nomen, quod certe immerito Tuempelius (Fleckeis. Jahrb. suppl. XVI, 211) ad eosdem 'aeneos' serpentis dentes, unde Sparti Thebani orti essent rettulit, nuperrime Maassius (ind. schol. hibern. Gryph. 1891, p. 12) e Χαλκο-ώδων duxit.

[8]) Paus. IX, 19, 3; cf. Plutarch. amat. narr. III.

[9]) Quoniam Euboea olim Aegyptia vocata est (v. Maassium in ind. schol. hibern. Gryph. 1890 p. 22), minime sit ineptum Aegypti filium Chalcodontem (Apollod. II, 1, 5) putare Euboicum, praesertim cum etiam alter Abas Euboicus, Canthus, in eodem Aegypti filiorum numero habeatur (Hygin. fab. 170; Apoll. Rhod. I, 77 sqq.). Tamen parum certa res est, cum totus illorum orbis, qualis e.

Perlustremus ceteras Chalcodontis (cuiusdam) sedes. Ac Thessalicum montem ad Pheras situm *Χαλκωδόνιον*[1]) ut ad Euboicum heroem referamus, etsi quae ad ipsam rem faciant documenta desunt, tamen rursus locorum situs suadet[2]).

Atticum vero Chalcodontem, cuius heroum Athenis prope Piraicas portas erat[3]) filiaque inter Aegei uxores numeratur[4]), primitus esse Euboicum illum certe demonstrant genealogiae quae de Elephenoris, Abantum regis Homerici, patre Chalcodonte exhibentur:

in schol. Il. II, 536

Erechtheus
|
Cecrops
|
Metion
|
Chalcon
|
Abas
|
Chalcodon

apud Eustathium l. l.

Erechtheus
Cecrops Pandorus Metion
Dias Alcon
Abas
Chalcodon.

Ita enim Euboicis heroibus Attici antepositi esse non possunt nisi ab ipsis hominibus Atticis: ergo hi acceperunt ex Euboea; etsi contrarie confecta quidem illa genealogia vel necessarium erat excogitari unum quemvis istorum heroum ex Attica in Euboeam transiisse: quod reapse de Pandoro apud Eustathium legitur[5]).

---

gr. apud Apollod. II, 1, 5 occurrit, undecunque gentium congestus esse videatur. An est Chalcodon quem dicimus fortasse Cous ille heros, quoniam Rhodiae, Danai filiae, coniux attribuitur?

[1]) Apollod. Rhod. I, 50.

[2]) Haud scio an huc attineat etiam Myrmidon Chalcon (Il. XVI, 595). Certe aliter se habet quod Abas heros in Thessalia *Ἄργος Πελασγικόν* condidisse traditur (Strabo IX, 431); sicut enim vel huius oppidi nomen ad Peloponnesiacos spectat Argos, ita ipsum Abantem inde venisse additur.

[3]) Plutarch. Thes. 27.

[4]) Athen. XIII, 556 A.

[5]) Habet praeter Chalcodontem Abantemque etiam Alcon certam Euboicam originem. Primum enim is et apud Eustathium et apud Ephorum (Steph. Byz. s. v. *Ἀθῆναι*) ⟨ab hoc tamen Abantis non pater, sed filius⟩ vocatur frater Diantis.

Transeamus in Peloponnesum. Arcadiae in extremo angulo, ad viam videl. quae Pheneo ad Achaiae urbem Pellenen ducebat, ostendebatur sepulcrum Chalcodontis cuiusdam quem una cum Hercule contra Eleos dimicasse fabula erat[1]). Quam ad illustrandam commemorentur item Herculis adversus Eleos socius Dameo Phliuntis filius, Phliasius igitur heros (Paus. VI, 20, 16) ac rursus Elei vulgo Eurytus et Cteatus Actoris filii occisi ab Hercule sepultique Cleonis[2]). Inde, opinor, omnes concedent Arcadis illius Chalcodontis geminos esse Eleos heroes et Chalcodontem qui inter Hippodamiae procos habebatur[3]) et Chalconem Cyparissium Pylii Antilochi armigerum[4]). — Iam vero Lycaonis filius vocatur Canethus qui Euboicorum Abantum est[5]); atque Abas filius tribuitur[6]) Melampodi, qui et ad Triphyliam[7]) et ad Arcadiae eosdem fere locos, ubi Chalcodon repertus est, sc. Lusos[8]), pertinet[9]). Acce-

---

Dias vero eponymus heros est Euboicae urbis Dii (cf. Il. II, 538), quam ipse, postquam pater Pandorus in Euboeam transmigraverit, condidisse ab Eustathio dicitur; nec non Ephorus Diantem (vel fortasse patrem) ex Attica transiisse eo ponit, condidisse autem Ἀθήνας Διάδας ⟨αἴγε περὶ ταύτην (sc. πόλιν Δῖον) ἦσαν: Steph. Byz. s. v. Δῖον⟩: hic igitur vetustissimae fabulae relatae sunt ad colonias Athenienses recentiore aetate deductas. — Iterum Alconem eumque Erechthei filium una cum Chalciope filia ex Attica Chalcidem fugisse tradit Proxenus in schol. Apoll. Rhod. I, 97. Euboicus igitur Alcon nobis tenendus est. — Ceterum non prorsus perspicio quid de Chalconis nomine in scholii Il. II, 536 stemmate statuendum sit: utrum erraverit scriba an ferri illud possit ut Alconis nomen consilio variatum atque ad Chalcodontem Chalcidem adaptatum. — Ad sanandi numen Atheniense, de quo conferas velim Sybelium (Mitteil. d. athen. Inst. X, 97 sqq.) et Wilamowitzium (Isyll. 189 sq.), huc referendum indicia desunt.

[1]) Paus. VIII, 15, 6.

[2]) Diod. IV, 33; Apollod. II, 7, 2; Paus. II, 15, 1.

[3]) E magnis Eoeis Paus. VI, 21, 10; idem nomine Chalcon in schol. Pind. Ol. I, 114.

[4]) Eustath. ad Odyss. XI, 521 (p. 1697, 54).

[5]) Apollod. III, 8, 1; cf. p. 26.

[6]) Paus. I, 43, 5.

[7]) Strabo VIII, 372; Paus. V, 5, 10; Steph. Byz. s. v. Ἀμυθαονία.

[8]) Paus. VIII, 18, 7; Steph. Byz. s. v. Λουσοί.

[9]) Tamen idem ne ab Argis quidem alienus fuisse videtur (cf. Paus. II, 18, 4); ibi vero cum Abantes aliunde constent, dubium est nonne in Argivorum fabula Melampus factus sit Abantis herois pater. — In veterum regum Argivorum stemmate Lynceo filius datur Abas (Paus. II, 16, 2; Apollod. II, 2, 1); cuius cum filius sit

dunt his Abantum vestigiis non paucae res quae indicent omnino intercessisse olim nexum commerciumque inter Euboeae et Arcadiae Elidisque incolas[1]). Quid igitur? Peloponnesiorum heros Chalcodon haud immerito Abantum nationi Euboicae vindicari potest.

His omnibus quas exposui rebus persuasum mihi est Coum quoque heroem deberi Abantibus. Quorum etiam aliud residuum in fabulis Cois servatum est: Molon nimirum Abas qui Peleo in insula hospitium praebuit (cf. p. 19). Et hos si posset affirmari consociatos fuisse vel antequam ad Coos perlati sunt, is qui inquirit utrum ex ipsa Euboea an ex aliis quas adumbravimus sedibus Abantes Con transierint, si nondum ipsius Euboicae, attamen originis non Peloponnesiacae indicium teneret. Sed nec de illa re certe quidquam perspicitur et Euboea patria alia via probari potest, scil. per Chalciopen quam commemoravi Coam heroinam[2]). Cum enim Chalciope quaedam et Chalcidem ex Attica una cum Alcone patre fugisse dicatur (cf. p. 28, n.) et Aegei uxor filiaque Rhexenoris vocetur[3]), similem ita efficit Chalcodontis memoriam, ut et ipsam Chalcidis eponymam, propagatam vero ad Atticos ducamus. Nec non Aeetae filiam Chalciopen, quam Phrixus cum in Colchorum terram venisset, uxorem duxit[4]), si quidem Colchidem proprie Chalcidem esse nobis persuasimus[5]), eodem referamus necesse est.

Acrisius, ne Perseus quidem, Acrisii nepos, immerito Abantiades vocatur (Ovid. met. IV, 607, saepius). Idmonem Argivum appellat Abantem Apollonius Rhod. I, 142.

[1]) Conferas Euboeae urbem Oresten (Steph. Byz., Hesych. s. v. s. v.); Chalcidem Euboicam olim Stymphelum nominatam (Steph. Byz. s. v. *Χαλκίς*; Hesych. s. v. *Στύμφη*). Rursus Chalcis nomen etiam Triphyliae et fluvio et oppido erat (Strabo VIII, 343); Eretriam condidisse dicitur heros Eretrieus Macisto, Triphyliae ab urbe, profectus (Strabo X, 447); Euboicum flumen nomine erat Neleus quod ad Pylum spectat (Strabo X, 449). Vide etiam quae in universum dicit Strabo X, 448.

[2]) Callimach. hymn. Del. 161 Con insulam vocat *Χαλκιόπης ἱερὸν μυχὸν ἠρωίνης*.

[3]) Phanodem. F. H. G. I, 366 M.; Apollod. III, 15, 6.

[4]) Apollon. Rhod. II, 1149, alibi; schol. II, 388, 1123 (Herodorus); Apollod. I, 9, 1.

[5]) V. Maassium G. G. A. 1890 p. 352.

Extra vero hos locos nusquam Chalciope comperta est: iam iam ne Chalcodontem quidem Coum ex Euboea repetere dubitamus[1]).

V.

DE HERCULE ET HERACLIDIS.

Ad Herculem Coum Herculisque posteros convertamur. Illum Troia redeuntem tempestate a Junone demissa ad Con insulam depulsum esse inde ab Iliade (XIV, 250 sqq.) saepius a veteribus traditum est[2]). Ibi qua re certamen ei cum Eurypylo Chalcodonte Antagora vel cunctis insulae incolis contractum sit aliter Apollodorus II, 7, 1, schol., Eustath. ad Il. l. l., aliter Plutarchus quaest. Gr. 58 enarrant. Hae vero inimicitiae quae intercedunt cum certarum nationum Coarum heroibus, qualis usus est fabularis, eo quodammodo solvuntur ac sanantur quod ex Chalciope[3]) Eurypyli

---

[1]) Etiam Patonius inscript. p. 345 sentit Chalcodontem et Chalciopen Abantum apud Coos gentem testari.

[2]) Pindarus in Nem. IV, 25 sq. et Isthm. V, 28 sq. carminibus in laudem Aeginetarum quorundam confectis una cum Aeginetico heroe Telamone Herculem facit dimicantem contra Troiam Meropes Alcyoneum. Hic rerum ordo non temere a poeta adhibitus est. Nam ut Troianum certamen arctius Coo antefixum esse iam vidimus, ita deinceps post Coam rursus ponitur Herculis in Gigantes pugna Phlegraea apud Apollod. II, 7, 1. Haec igitur in fabularum Herculearum numero ex quocunque tempore constare videntur. — Wilamowitzius (Heracl. I, 281) censet Herculis expeditionem Troianam ab Asiaticis Doribus et excogitatam esse et coniunctam cum vetustioribus fabulis quas de Cois eiusdem pugnis ferebant.

[3]) Plutarcheae narrationis (l. l.) ⟨ad caerimonias sacrorum Herculis Antimachiensium explicandas institutae; cf. p. 62⟩ in fine haec leguntur: *ἐπεὶ δὲ τῶν Μεροπων αὖθις κρατήσας καὶ καθαρθεὶς ἐγάμει τὴν Ἀλκιόπου, ἀνέλαβε στολὴν ἀνθίνην.* Corruptelam inesse quod suspicemur ac *τὴν Χαλκιόπην* scribamus cum C. Roberto (v. Fr. Backium, de Graec. caerimon. Berol. 1883 p. 20), non satis causae est. Attamen, ni fallor, agnoscimus ipsam Chalciopen, si modo nobis persuademus nomen *Ἀλκίοπος* haud differre a decurtato nomine *Ἄλκ-ων*. Alconis enim filia Chalciope comperta est (cf. p. 28, n.). — Vereor ne *Θρᾷτταν* mulierem, ad quam Hercules nimis ab Antagora Meropibusque vexatus confugisse dicitur apud Plutarch., parum recte Maassius (Herm. 1891 p. 189) cum Alciopi filia (Chalciope) commiscuerit atque inde Thraces Boeoticos Euboicos in Con insulam transgressos sibi

filia Hercules gignit Thessalum[1]). Hoc rursus nati sunt Antiphus et Phidippus, qui Cois finitimarumque insularum Nisyri Calydnarum Carpathi Casi incolas contra Troiam ducunt (B 676 sqq.)[2]).

His heroibus Thessalus pater tribui non potuit nisi ab ea Coorum parte quae antea in Thessalia sedes habuerat. Accedunt alia quaedam. Ephyrae, in Thesprotiae urbe, illi sepulti esse dicuntur[3]); inde autem posteros eorum profectos Thessaliae occupatae nomen a Thessalo proavo indidisse Strabo IX, 444 memoriae prodidit. Porro Polyaeno strat. VIII, 44 auctore Phidippi filius Aeatus cum exercitu Acheloum fluvium transiit, ut Boeotos e Thessalia eiceret. Et is et soror Polyclea genere Heraclidae vocantur; procreant rursus filium Thessalum. Sed his fabulis quibus Thesproti Thessalique Antiphum et Phidippum sibi sumpserunt, contraria est Coorum quam dixi. Et reapse consentaneum est eam quae in Co consedit Thessalorum partem quos colebat heroes etiam apud se natos esse sibi finxisse. Contaminatae autem reperiuntur et Thessalorum et Coorum fabulae in Nostorum quae vocantur carminibus ita ut Coa fabula supposita heroes illos Troia redeuntes tempestate sive Ephyram sive ad Thessaliam depulsos esse excogitatum sit[4]).

---

sumpserit. Verba Plutarchi de matrimonio Herculis supra allata totius narrationis nexui adeo non conveniunt, ut ne hic quidem mos: *τὰς νύμφας οἱ γαμοῦντες δεξιοῦνται γυναικείαν στολὴν περιθέμενοι* inde explicetur.

[1]) Schol. Il. XIV, 255; cf. schol. Pind. Nem. IV, 40 et tabulam Farnesianam: Jahn-Michael. griech. Bilderchroniken p. 70, 232 sqq.

[2]) In Hygin. fab. 97 exhibet cod. F.: 'Antiphus, Mnesyli et Chalciopes filius, Thessalus navibus XX.' Desideratur sane is qui Cois, Nisyri etc. incolis imperabat, ut vera Hygini verba Micyllus eleganter restituisse videatur cum scriberet: 'Antiphus, Thessali et Chalc. filius, Nisyro etc.' Tunc genealogia ab eis quas attulimus, paullum differt.

[3]) Ps. Aristot. pepl. ep. 39 (Bgk.):

Φείδιππον Τροίην πέρσαντ' ἠδ' Ἄντιφον ἥρω
γαῖα πατρὶς Κῴων ἥδ' Ἐφύρα κατέχει.

Phidippus redit in Phidone, Thesprotorum rege (Odyss. XIV, 316; XIX, 287). Cf. Hill. v. Gaertring. 'Aus der Anomia' p. 2[3].

[4]) Cf. Buttmann. mythol. II, 258. Velleius Paterc. I, 1, 1 Phidippum venisse Ephyram tradit; contra in Apollodori bibl. fragmentis Sabbaiticis (Rhein. Mus. 1891, p. 174, ubi de 'Nostis' agitur) legimus: *Ἄντιφος δὲ ὁ Θεσσαλοῦ εἰς Πελασγοὺς*

Herculem illa natio quam adumbravi colebat, quoniam patrem Thessali eum fecit. Et patent Herculis vestigia eodem fere quo Antiphi et Phidippi; quae paucis perlustrabo. a) Ephyra ipsa Thesprotica, cuius rex Phylas, ab Hercule capta est[1]); ab eodem Molossorum regia gens per Lanassam, Cleodaei filiam, originem duxit[2]). — b) In ipsa Thessalia[3]) Aleuadae, quorum praecipua sedes Larissa erat, Herculis genere nati esse sibi videbantur[4]). — c) Ormenii rex Amyntor qui adversarius exstitit ab Hercule occisus est[5]). — d) Pheraeam Alcestidem, Admeti uxorem, moribundam Herculem luci reddidisse cum Orco dimicantem Eurípides in 'Alcestide' enarrat. Cuius in narratione fabula quidem de Herculis Orcique certamine Pheris facto haud scio an vera sit[6]) conferendaque cum eodem fere ad Pylum certamine. — e) Cum Cycno, Martis filio, Hercules conflixisse dicitur ac vicisse modo Pagasis in earumque vicinitate[7]), modo ad Itonem[8]), mediae Phthiotidis urbem. Quin etiam usque ad Trachidem huius fabulae orbis patet[9]). — f) Omphalae, Jardani filiae, servivisse Herculem primitus non in Lydia, sed in Thessalia certe docuit Wilamowitzius (Heracl. I, 315 sq.)[10]). Inseruntur autem etiam huic fabulae plures res quae

(*φέρεται*) *καὶ χώραν κατασχὼν Θεσσαλίαν ἐκάλεσεν, ... Φείδιππος μετὰ τῶν Κῴων ἐν Ἄνδρῳ κατῴκησεν.* ⟨Inter arctioris nexus, quo Andrus ac Cos, ut videtur, olim continebantur, indicia possunt fortasse haberi etiam Anii fabula (p. 58) et Bacchi Theodaesii sacra (p. 64).⟩

[1]) Apollod. II, 7, 6; Diod. IV, 36.

[2]) Plut. Pyrrh. 1.

[3]) Mitto Lapitharum certamen et quod ad Dores tantummodo attinet et quod mea quidem sententia ei auctores veteres qui in septentrionali illa Thessaliae regione collocant, male faciunt.

[4]) Id elucet ex Pind. Pyth. X. carm. exordio ac diserte traditur ab Ulpiano in schol. Demosth. Ol. I. Cf. Boeckhii explic. Pind. p. 332.

[5]) Apollod. II, 7, 7; cf. Diod. IV, 37.

[6]) Cf. O. Muellerum Dor. I, 415. Aliud censet Wilamowitzius Isyll. pp. 67, 72 n.

[7]) Hesiod. scut. 58, 70, 380 sq., fin.; Eurip. Heracl. 389 sqq. Cf. Paus. I, 27, 6.

[8]) Apollod. II, 7, 7; Diod. IV, 37.

[9]) Hesiod. scut. 472 sqq.

[10]) C. Wernickius ('Aus der Anomia' p. 72 sqq.) hoc concedens id egit, ut similes quasdam Asianorum fabulas resque divinas exploraret, propter quas fieri

ad diversa loca spectant: scil. ad Pelium montem, tum ad Itonem, tum ad Lamiam Thermopylas Trachidem Heracleam.

Haec quoniam demonstrata sunt, iam in eo est ut natio designetur cui et in Thesprotia et in Thessalia fabulae tribui possint. Quid? Thessalos qui proprie vocantur e Thesprotia profectos Thessaliam occupavisse[1]) veteres prodiderunt (Herod. VII, 176). Ergo, qualis est Coa de Antipho et Phidippo Heraclidis fabula: qua re adduci possumus ut dubitemus quin a 'Thessalorum' natione illi in Con insulam sint translati?

Tamen Od. Muellerus[2]) (Dor. I², p. 110 sq.) Doribus Heraclidis vindicavit Antiphum Phidippumque ex Argolide profectis, cum censeret Thessali filios ob eam rem vocari quod origo gentis fabulari ratione expugnationi Ephyrae, Thessalorum ⟨at non Dorum!⟩ patriae, adnecteretur. Longissime sane petita explicatio! Et idem fere iudicavit vir doctissimus de Rhodiis Heraclidis quos tamen et ipse ducit Cois propinquos. Tlepolemum enim Rhodium Herculis filium alii natum esse tradebant Ephyrae ab Astyoche, Phylantis filia[3]), alii Ormenii ab Amyntoris filia Astydamea[4]). Et haec quidem posterior fabula etiam quinto a. Chr. saec. apud ipsos Rhodios vivida tenebatur memoria. Cuius testimonio sunt haec Pindari verba de Diagoridarum regia gente (Ol. VII, 130 sqq.): *ἐθελήσω τοῖσιν ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπολέμου ξυνὸν ἀγγέλλων διορ-*

potuerit, ut Omphales fabula denuo in Lydia collocaretur. F. Cauerus vero (Rhein. Mus. N. F. 46. 1891 p. 244 sqq.) reapse in Lydia, si recte intellego, primum istam fabulam de Hercule confectam esse arbitratur.

[1]) Primo eos Thessaliotidem potissimum provinciam tenuisse haud male ex hoc nomine coniectavit Buttmannus (mythol. II, 262). — Eisdem Herculis sacra non minus quam Doribus et Boeotis vindicantur. Cf. Wilamowitzium Heracl. I, 277.

[2]) Etiam Wilamowitzius (Isyll. p. 52) Coas Herculis fabulas Doribus deberi contendit. — Hicksius (introd. inscript. p. XII) censet Dores quosdam qui etiam ante Peloponnesum omnino a Dorum natione occupatam in Argolide consederint Thessalicarum rerum maxime memores una cum 'Achaeis' in Con insulam transiisse.

[3]) Il. II, 658 sq.; Apollod. II, 7, 6; Diod. IV, 36.

[4]) Hesiod. in schol. Pind. Ol. VII, 42 (frg. 134 Rz.); patrem tamen non Amyntorem, sed Ormenum vocat. Etiam filius Tlepolemi Deipylus sepultus esse Ormenii dicitur in Ps. Aristot. pepl. ep. 40 (Bgk.).

θῶσαι λόγον, Ἡρακλέος εὐρυσθενεῖ γέννᾳ· τὸ μὲν γὰρ πατρόθεν ἐκ Διὸς εὔχονται, τὸ δ' Ἀμυντορίδαι ματρόθεν Ἀστυδαμείας. Ex ambabus autem Tlepolemi fabulis apparet nationis eum proprium fuisse quae e Thesprotia pervenit Ormenium: Thessalorum dico. Tamen veteres ipsi (qua re plerique perturbari videntur) Argis Tlepolemum venisse in Rhodum insulam narrant fugientem Licymnio patris avunculo interfecto. Sed hoc mihi non multum auctoritatis habet. Quoniam enim alia herois Argiva vestigia non exstant, haud paullum licet suspicari illam necem, ut et habitasse Argis et inde exiisse Tlepolemus dici posset, esse fictam per Rhodios Dores, Argivos potissimum colonos, cum Herculis istum filium suum esse vellent heroem. — Atque ut eo minus momenti in Argiva quae fertur origine ponas, altero exemplo Althaemenis eandem fere Dorum rationem demonstrabo. Is enim a nonnullis[1]) Cretensis Catrei filius fuisse atque in Rhodum insulam transgressus Jovis sacra in Atabyrio monte condidisse dicitur. Inde loco cuidam sub radice montis sito, ubi Althaemenis sodales consederant, *Κρητινία* nomen erat inditum[2]). Sed afferunt veteres[3]) etiam Heraclidam Althaemenem, Cisi filium, qui rursus Argis colonos et in Cretam et in Rhodum insulas duxerit. Hanc fabulam si quis cum priore confert, mox perspiciet, opinor, qualis ratio inter eas intercedat. Certe non talem qualem A. Beckerus (de Rhodiorum primordiis p. 121 sqq.) et U. Hoeferus (Conon p. 74) sibi finxerunt, cum duos fuisse Althaemenes et Argivum et Cretensem, fabulas autem de unoquoque narratas ab auctore Cononis, Ephoro, in unam contaminatas esse putarent; nec qualem O. Muellerus (Aeginet. p. 43), qui Cretenses Argivum Althaemenem ipsorum genti regiae adoptasse contendit; quamquam et nos nationem quandam fabulantem, non unum scriptorem statuimus. Ne plura: Dores Argivi, qui in Rhodo consederant, Althaemenem et Heraclidam fecerunt et Argis eo colonos transducentem; ac cum certam necessitudinem

---

[1]) Diod. V, 59; Apollod. III, 2, 1.

[2]) Steph. Byz. s. v. *Κρητινία.*

[3]) Strabo (Ephorus) X, 479, 481; XIV, 653; Conon. narr. 47.

qua heros ille cum Creta iunctus erat, funditus tollere nequirent, ita res contaminarunt, ut Cretae ille navibus adpelleretur partemque colonorum ibi relinqueret, maiorem vero Rhodum duceret.

Sed hinc nos revocemus. Thessalica igitur agnovimus Coa quaedam ad Herculem pertinentia[1]: universim vero quot inter Herculis fabulas sacraque Thessalis debeantur, quot Doribus Argolicis, discerni vix poterit. Ad hos tamen tribuum nomina Ὑλλεῖς Δυμᾶνες Παμφυλεῖς(-οι)[2] redire luce clarius est. Nec multum dubitari debet quin gentis Antimachidarum[3], qui in ipso insulae loco Antimachia habitasse videntur, auctor habitus sit Antimachus Heraclida[4], pater Deiphontis qui regnum suscepit Epidauri (Paus. II, 19). Nam Epidauro[5] potissimum Dorum coloniae in Con insulam sunt deductae[6].

---

[1]) Hippocratis, qui propter patrem inter Asclepiadas, propter matrem inter Heraclidas erat (Hipp. op. Littré IX, p. 314) pater erat Heraclides, filius Thessalus (Steph. Byz. s. v. Κῶς; Suidas s. v. Ἱπποκρ.). — Plures Coos Θεσσαλός vocatos videas in Patonii inscript. indice p. 373. — Conferas etiam Coum poetam Philetam apud Hesychium s. v. Θεσσαλαί· αἱ Κῶαι.

[2]) V. Dubois l. l. p. 31 sq.; Paton. l. l. p. 341.

[3]) Duo tituli Romanae aetatis Antimachiae reperti sunt, qui sic exordiuntur: ὁ δᾶμος Ἀντιμαχιδᾶν καὶ Αἰγηλιῶν καὶ Ἀρχιαδᾶν (Ross. I. G. I. III, nr. 307, 308; Paton. et Hicks. nr. 393, 94). — Inter ceteras gentes Coas Euryanactidae videntur esse Peloponnesii (Dub. p. 58); nec non Phyleomachidas (Paton. et Hicks. nr. 38, 16) ad Peloponnesum sc. Elidem referre voluit Maassius (Herm. 1891 p. 185): Phyleum flagitari, nimirum Augeae filium. At ita altera nominis pars -μαχος non satis intellegi posse videtur. Equidem cogito de Ephyrae Thesproticae rege vulgo Φύλας, apud Diod. IV, 36 Φυλεύς vocato, in quem Hercules dimicasse fertur ipse igitur est Φυλεόμαχος (Phyleusbekämpfer). Quod quam egregie quadret ad Thessalorum Heraclidarum fabulas Coas elucet.

[4]) Herculis Antimachiensia sacra (Plut. qu. Gr. 58) utrum a Thessalis an Doribus instituta sint, inde non solvitur. — Notetur hic Coum quendam locum vocari Ἀλκηΐδες (Paton. et Hicks. nr. 37, 60), quem Bechtelius (Goett. Nachr. 1890 p. 33) ad Herculem Alcidam rettulit.

[5]) Nomen Ἐπίδαυρος Cois quibusdam civibus erat (Paton. et Hicks. 54, b; p. 311).

[6]) Herod. VII, 99. — Argivi inter vetustissimos insulae incolas afferuntur loco paullum suspicioso sc. Tacit. ann. XII, 61 (cf. p. 17); nec magis certe e Strabon. XIV, 653 ipsos Argivos Con transiisse colligi debet.

VI.

DE CLYMENE ET CLYMENO.

Quae adhuc e fabulis assecuti sumus, haec sunt: inter eas nationes quae ante Dores Argolicos in Co insula consederunt, e Peloponneso advenerunt Meropes, e Thessalia vero Lapithae Achaei Minyae, quibus sese fortasse adiunxerant Euboici Abantes. Videntur autem illi omnes e vetustis sedibus pulsi esse a 'Thessalis', qui rursus ipsi deinde Con occupaverunt.

Doleo quod ea quae sequitur de Clymene disputatio non ad probabilem finem perduci potest.

Meropis Coi uxorem Clymenen fuisse commemoravimus[1]); ac re vera ei apud Coos eximium locum fuisse id quoque documento est, quod hominum nomina saepius ab ea petita sunt[2]). Atqui etiam extra insulam multorum locorum in fabulis apparet Clymene nec minus Clymenus, quem nostro iure adiungere nobis videmur, sicuti Meropem Meropen, Clytium Clytiam iuxta tractavimus.

1) Ac primum apud Minyas locum eos tenuisse certe elucet. Minyae enim herois filia appellatur Thessala Clymene cuius filius Iphiclus, nepos e filia Alcimede Iason est[3]). Eiusdem nomen a Stesichoro (schol. Apoll. Rhod. I, 230) *Ἐτεοκλυμένη*, ab Hygino (fab. 14) *Περικλυμένη* traditur, quas non nisi integriores eiusdem nominis formas esse perspicitur. Sunt vero iam omnes, si qui in fabulis Periclymene vel Periclymenus occurrunt, aequa ratione tractandi. Atque ab illa vix quisquam separet Pheraeam Periclymenen, Admeti e Pherete matrem, etiamsi non facit cum

---

[1]) Robertus (Herm. XVIII, 441) contendit Clymenen fabulae Phaethonteae immixtam (cf. p. 4) deberi poetae cuiusdam libidini et proprie esse 'umbratilem Oceanitidem'. Contra potius factum esse videtur ut a theogonicis et genealogicis poetis desumerentur personae quaedam e certis locis certoque fabularum nexu etsi nobis plerumque non iam accurate cognoscendis.

[2]) In titulis Cois reperiuntur *Κλυμένη* ter (Paton. et Hicks. nr. 368), *Κλύμενος* semel (ibid. nr. 45, b).

[3]) Apoll. Rhod. I, 233; schol. Odyss. XI, 325.

M. Schmidtio, qui pro tradito apud Hygin. fab. 14 nomine patris 'Minois' scripsit 'Minyae'[1]).

Boeoticis Minyis vindicandus esse videtur Clymenus qui ut Presbonis filius, Phrixi nepos fuit, ita regnum olim tenuit Orchomeni[2]).

Sed Minyae etiam in Triphylia habitaverunt; atque Pylii Neleus Nestorque cum Thessalicis et Boeoticis affinitatis vinculis continentur[3]). Inde bene intellegitur Nelei filius Periclymenus[4]). Is potissimum quid beneficii artisque a Neptuno et auctore generis et praecipuo Minyarum deo acceperit, inde ab Hesiodo saepe veteres narraverunt[5]).

Reperiuntur autem in Arcadia quoque et Clymenus et Clymene. Haec quidem nympha, Thesimenis Nysii e Parthenopaeo mater[6]); ille vero aut Schoenei[7]) filius aut Caenei[8]), vulgo Lapithae. Nec non ille Clymenus, cui pater est Teleus[9]) Argivus, Arcadiae primo vindicandus esse videtur. Idem enim et de eo et de Schoenei Caeneique filiis narratur: stuprum in filiam Harpalycen commissum. Haec fabula, quam ex altero in alterum locum transductam esse per se patet, utro tandem orta est, Argisne an in Arcadia? Solvitur fere quaestio ex Harpalyce, cui sicut apud Thracas

---

[1]) Item Elarae pater, qui vulgo Minyas, apud Eustathium p. 1699. 59 Minos legitur (cf. Mayer., Gig. u. Tit. p. 77, 58). Quales sunt res, magis est opportunum non mutare nomina, quoniam haud obiter Minos et Minyas Minyarumque natio concurrere videntur (cf. Studniczka, Cyrene p. 66).

[2]) Idem pater Ergini Argonautae apud Hygin. fab. 14 Periclymenus vocatur.

[3]) V. O. Mueller. Orchom. p. 360—376.

[4]) Odyss. XI, 286; alibi.

[5]) Hesiod. frg. 33 Rz.; schol. Apoll. Rh. I, 156; Hygin. fab. 10; Ovid. met. XII, 551 sqq. — Inde haud scio an decurtatum sit *Περιχλ-ος* nomen, quo vocatus est unus ex illis Nelidis qui in Ioniae urbibus plurimis regnaverunt (Paus. VII, 3, 10).

[6]) Hygin. fab. 71. Nysa illa circa Tegeam locanda visa est Maassio (ind. schol. hib. Gryph. 1891 p. 15, 4).

[7]) Hygin. fab. 206, 246. Schoeneus nomen duxit ab urbe *Σχοινοῦς* inter Megalopolim et Methydrium sita (Paus. VIII, 35, 10).

[8]) Hyg. fab. 242. Perperam M. Schmidtius quod cod. F. praebet, mutavit in 'Schoenei'. — Lapitharum cum Peloponnesiacorum tum Arcadicorum vestigia collegit G. Kirchnerus, Att. et Pelop. p. 61 sq.

[9]) Parthen. narr. amat. 13.

Harpalycus[1]), ita in Arcadia Lycaonis filii Harpalycus Harpaleus[2]) respondent; qualibus vinculis ut fabula illa cum Argis non conectatur vix casu factum esse videtur. Itaque in Arcadia eam priorem fuisse, inde illuc translatam esse[3]) iudico; sin autem hanc, tunc etiam patrem Clymenum qui et huc et illuc aeque pertinet. Iam vero eadem fere ratione consociata est Harpalyce cum Periclymeno quodam, unde filius oritur Presbon[4]). Haec ad Orchomenios Minyas recurrunt. Vides quid efficiatur de Arcadia, quae ceteroquin ne ipsa quidem a Minyis eisque iterum Boeoticis potissimum abhorret[5]); ad hos igitur omnino Arcadicos Clymenum Clymenenque referre licet.

2) Missis quibusdam heroibus heroinisque Clymenus Clymene vocatis, qui nobis quasi elabuntur de manibus, vertimus nos ad Hermionensem Clymenum. Etenim Hermionenses Cereris Chthoniae sacrum in colle qui vocatur Pron conditum esse narrabant a Clymeno Phoronei filio ac sorore Chthonia (Paus. II, 35). Hanc sicut nullam aliam nisi ipsam inferam Cererem esse primo obtutu elucet, ita dubium esse nequit quin etiam Clymenus in inferorum numero numinum habendus sit. Cuius rei gravissimae documenta apud Paus. l. l. videas. Addenda sunt et Hesychii glossa *Περικλύμενος· Πλούτων* et quod Clymenae Minyeïdi ipsum Proserpinae nomen adiungitur[6]). 'Gloria praediti' nominantur eadem ratione qua Eucles et Clytius Clytia (cf. p. 13). Ut igitur plurimum valet Clymenus

---

[1]) V. Crusium in Roscheri M. L. s. v.

[2]) Apollod. III, 8, 1.

[3]) Hoc modo longe probabilius res solvitur quam quo Crusius l. l. solvi eam posse censuit, cum de Herculis praeceptore Harpalyco cogitaret.

[4]) schol. Townl. Il. XIV, 291. Cf. p. 37.

[5]) Inprimis Tegeae ac Mantineae memoria eorum exstat; eis quae attulit Maassius G. G. A. 1890 p. 353 sq., addo: Minyam Alei filium (Aristodem. in schol. Pind. Isthm. I, 79; cf. Buttmann. mythol. II, 199, qui recte ad Tegeam rettulit); Peliae filiarum memoriam Mantinensem (Paus. VIII, 11, 1). Porro Clymene Minyae filia peperisse Atalanten dicitur e Lycurgi filio Ias(i)o (Apollod. III, 9, 2; cf. Hygin. fab. 70, 99); cuius nomen ut Orchomeni constat (cf. Odyss. XI, 283), ita Gratiarum sacra Tegeaea Mantinensia ad eandem Boeotiae urbem pertinent (cf. Maassium l. l.).

[6]) V. Buttmann. mythol. II, 216.

Hermionensis ad totam quaestionem propositam, ita maxime interest cognoscere quae natio eum ibi condiderit. Phoronei liberi vocantur in Hermionensium fabula Clymenus Chthoniaque; is cum Argis[1]) certam sedem tenuerit, concludatur necesse est ipsos Hermionenses illinc Cererem et Clymenum apud se cultos repetivisse. Ac ne quis suspicetur Phoronei partem ex Argivis suppositam esse, horum narratio aliquantum distat: non Phoronei, sed Colontae cuiusdam filia appellatur Chthonia, quae Argis Cereris sacra Hermionam transtulerit (Paus. II, 35). Propterea Argis vere oriunda illa sacra teneamus. Et erat ibi pridem ante Dores condita Ceres Pelasgis[2]). Cum Hermionensium autem dea etiam multo recentiore aetate sacrum commercium erat Asinaeis Messeniis qui antea Argolidis urbem Asinen tenuerant[3]). Qua ex re eiusdem nationis sacra efficiuntur quae et Hermionam et Asinen incoluit: haec erat Dryopum natio[4]). Accedit altera res. Hermionae et Asinae, Argolidis in oppido, colebatur Apollo quem vocant *Πυθαεύς*[5]); eundem ubicunque reperitur, a Dryopibus haud alienum esse veri est simillimum. Occurrit enim in Cynuria[6]), in Laconiae monte Thornace[7]), in ipsa urbe Sparta[8]): quid? nonne hanc fere viam ingressi

[1]) Cf. e. gr. Paus. II, 20, 3.

[2]) Paus. II, 22, 2. — Eodem fere attinet quod Acrisius Argivus Pelasgus Cereris Pylaeae in Thermopylis templum condidisse fertur (Callimach. ep. 39 Wilam.).

[3]) C. I. G. 1193 = Dittenb. syll. nr. 389. — Paus. II, 36, 5.

[4]) Herod. VIII, 43, 73; Strabo VIII, 373; Diod. IV, 37; al. — Lacedaemoniam quoque Cererem Chthoniam (Paus. III, 14, 5) illuc referri posse ex eis quae statim exponentur, probabitur. Cf. Wide, de sacr. Troez. p. 48.

[5]) Paus. II, 35, 2; 36, 5. Huius vocabuli forma conferenda est cum *Κρητα(ι)εύς*, *Νυσαιεύς*, simil.; necesse est igitur ducere a **Πυθα*, quae vox ad vulgarem *Πυθώ*, ut *ἠχή*: *ἠχώ*, *Ψάπφα*: *Σαπφώ*, *Θρία*: *Θριώ* etc., quae Ahrensius K. Z. III, p. 88 sqq. collegit (quod me monuit Guil. Schulze). Hoc igitur Apollinis cognomine Dryopes proprio usus esse iudico. — Asinaei dei templo Dores Argivi cum urbem captam delerent, pepercerunt atque Epidaurios eo sacrificia mittere coegerunt. Nam ad hoc templum quod in Argivorum venerat dicionem, non ad illud quod Argis ipsis erat (sicut O. Muellero Dor. I, 85), pertinere mihi videntur verba Thucydidis V, 53: *κυριώτατοι δὲ τοῦ ἱεροῦ ἦσαν Ἀργεῖοι* (cf. etiam Kirchner. Att. et Pelop. p. 45, 4).

[6]) I. G. A. Roehl nr. 59 [*Ἀπόλλωνι*] *τῷ Πυθαι*[*εῖ*].

[7]) Paus. III, 10, 8 (cf. VIII, 27, 17). Haud parvi momenti est quod etiam prope Hermionam Thornax mons, postea vocatus *Κοκκύγιον*, erat situs (Paus. II, 36, 1).

[8]) Paus. III, 11, 1; C. I. G. nr. 1429.

esse videntur pulsi Asinaei Argolici quos a Lacedaemoniis et in Laconia exceptos esse et Messeniae urbem Asinen[1]) deinde vocatam incolendam accepisse constat?[2]) Haec igitur ad hos quidem Dryopes[3]) refero. Iam id videamus quod nos eo fere reducit, unde exordium fecimus. Argorum enim arcem Larissam ascendentibus erat Apollinis Diradiotae (i. e. in colle positi[4]) templum quod a Pythaeo, Apollinis filio, Delphis profecto primum totius Graeciae conditum esse Telesilla Argiva narravit (Paus. II, 24, 1; 35, 2)[5]); erat autem in vetustissima Argivorum sede, ubi etiam Iunonis Minervae Iovis perantiqua constabant sacra, quae quidem ante Heraclidas instituta esse nemo negaverit. Tamen ut Doribus istum Apollinem vindicaret O. Muellerus (Dor. I, 85) eo, opinor, adductus est quod Apollinis sacra cum Thessalica tum Delphicum Doribus demum deberi arbitrabatur. Contra eorum qui nunc sunt virorum doctorum valet sententia haec Doribus vetustiora, ab eis vero summo studio esse accepta[6]). Minime igitur is quem tractamus Apollo Doricus fuerit necesse est. Ac quamquam nihil fere id curo quod Pausanias II, 35, 2 de Hermionensibus dicit[7]): *τὸ τοῦ Πυθαέως ὄνομα μεμαθήκασι παρὰ Ἀργείων*, tamen propter nexum rerum Argivorum Hermionensium Asinaeorum Apollo Pythaeus conferendus est cum eorundem Cereris Clymenique sacris. Haec quidem Argis vidimus Hermionam et Asinam propagata esse; porro harum saltem urbium constant incolae Dryopes: ergo meo iure statuere mihi videor Dryopes fuisse Argivos qui quas diximus res illuc secum portarint. Neque huic sententiae detrimentum facit

---

[1]) Etiam Laconiae erat oppidum Asine prope Taenarum situm et ipsum a Dryopibus occupatum (Herod. VIII, 73).

[2]) Paus. II, 36, 5; IV, 8, 3.

[3]) Megarica Apollinis Pythaei vestigia (ludi festi *Πυθάεια*: C. J. G. nr. 1058; Le Bas-Fouc. inscript. de Peloponn. nr. 42 b, 43) quo pacto vere explicanda sint, non satis certe dici potest.

[4]) Cf. Kirchnerum p. 45, 4.

[5]) Hinc in Rhodi urbem Lindum fluxisse facile potest Apollo *Πυθαεύς* (Ross. I. G. I. III nr. 272; archaeol. epigr. Mitt. Oestr. Ung. VII, 136).

[6]) Wilamowitzius Heracl. I, 265.

[7]) Nam potest cogitari hoc de suo eum collegisse e Telesillae narratione.

quod Argis nulla eorum alia vestigia reperiuntur nomenque a Doribus funditus oppressum est; vicinarum tamen sedum memoria exstat. Nemeam enim tenuisse Dryopes[1]) Steph. Byz. s. v. *Νεμέα* testatur; nec non huius fere reconditioris regionis Argolicae est fluvius a Statio (Theb. IV, 122) 'Dryopumque trahens Erasinus aristas' vocatus, qui oritur in agro Stymphalico, effunditur autem inter Argos et Lernam[2]).

His expositis iam aliud de Dryopum rebus iudicare debemus quam Od. Muellerus, qui navibus sicut in insulas Euboeam Cythnum, ita in Argolidis urbes maritimas eos pervenisse censuit (Dor. I, 43, sq.)[3]). Sane maritimae modo sedes viro doctissimo in mente fuerunt! Ita potius res se habere videtur: Dryopes sive ex Isthmo sive Corinthiaci sinus ora profecti habitarunt aliquantum temporis Argolidis eis fere quos dixi locis, tum a Doribus strenue progressis longius longiusque repulsi, Asine quoque erepta non nisi in extrema paeninsulae ora, scil. Hermionae et Eione[4]) servati sunt.

---

[1]) Ad hunc fere locum spectare videtur, ut Maassius me monuit, genealogia herois Dryopis, filii Apollinis et Diae, Lycaonis filiae (schol. Lycophr. 479; Etym. M. p. 288; schol. Apoll. Rh. I, 1213). Dia enim (Heba Ganymeda) colebatur proximis in urbibus Phliunte et Sicyone (Strabo VIII, 382). Eadem quod Lycaonis filia vocatur non offendit. Nam quo nexu illa fere regio cum propria Arcadia copuletur, passim demonstravimus (p. 6; 10, 1); et ipsos Dryopes Arcadicos videas p. 46. — Copia data tollere liceat errorem in quem rapti sunt Wilamowitzius (Hom. Unt. p. 222 n.) ac Toepfferus ('Anomia' p. 40). Tribuunt enim Pittheo Troezenio matrem Diam nixi in scholio Pind. Ol. I, 144, ubi enumerantur Pelopis (et Hippodamiae) filii. Legimus autem apud Boeckhium: *Ἀτρεὺς, Θυέστης, ... Πιτθεὺς ἐκ Δίας ἢ Χρύσιππος ἐξ Ἀξιόχης νύμφης καὶ Πλεισθένης ἐξ ἄλλης.* Ita particula *ἤ* omnino non intellegitur. At tolle rursus quam Heynius demum addidit voculam *ἐκ* atque conferas schol. Eurip. Orest. 4: *Ἀτρεύς, Θυέστης, Δίας, Κυνόσουρος ....., Πιτθεύς ..... καὶ ἔκ τινος Ἀξιόχης νόθος Χρύσιππος*: iam elucet et frater (non mater) Pitthei et sana est ratio grammatica (*Πιτθεύς, — Δίας ἢ Χρύσιππος ἐξ Ἀ.*). ⟨Videas Diantem Pelopidam etiam in Etym. M. s. v. p. 270, 10.⟩ Sumpsit vero inde Toepfferus Troezeniam Diam, per quam rursus Pirithoum, eius filium, ne a Troezene quidem alienum fuisse probaturus fuit. Haec igitur corruunt. Tenemus adhuc iuxta Pirithoi matrem, Deionei filiam, tantummodo deam illam Sicyoniam Phliasiam: num cohaereant explorandum restat. — Ceterum Pirithoum Theseumque a Dryopibus esse propagatos non magis quam Kirchnerus p. 61, 2 concedam Toepffero: funditus labi mihi videtur.

[2]) Pausan. II, 24, 6; 36, 6; VIII, 22, 3.

[3]) Sectatus est etiam is qui nuperrime has res attigit Toepfferus l. l. p. 43.

[4]) Diod. IV, 37. — *Δρυόπη* prope Hermionam affertur apud Steph. Byz. s. v.

Sed haec hactenus. Enucleavimus duas potissimum nationes apud quas locus fuit Clymeno Clymenaeque: Minyas et Dryopes. Inter quos qualis ratio fuerit ut cognoscatur, iam oportet de tota historia Dryopum disputare[1]).

VII.

DE DRYOPIBUS.

1) Dryopum sedes quae quidem nobis longissime ad septentrionem Graeciae promotae videntur, ad Peneum Thessaliae fluvium conditae erant, si quidem credimus Pherecydi (schol. Apoll. Rhod. I, 1212) Dryopem, gentis auctorem, Penei filium fuisse et Polydorae, Danai filiae. At Antoninus Lib. in fab. XXXII e Nicandri Metam. hausta matre Dryopis usus eadem patrem adhibet Spercheum, qui Pherecydis quoque verbis a viris doctis pridem suppositus est. Et sane sunt Dryopum ad Spercheum sedes aliunde certe compertae, ad Peneum non item; sunt ipsius Pherecydis verba post illa posita: *οἰκοῦσι δὲ ἐπὶ τῷ Σπερχειῷ ποταμῷ*[2]). Sed haec ad posteriores magisque perspicuas sedes attinere, iuxta vero stare potest earum quae remotiore vetustate obrutae sunt fabularis memoria. Quid? cogitari potest in narratione ab Antonino tradita Sperchei notiorem in hac re partem Penei loco suppositam esse. Argiva vero mater non magis a Penei quam Sperchei vicinitate abhorret, quoniam Acrisius quidem aeque illuc atque huc pertinet[3]). Quae cum ita sint, haud scio an Pherecydis genealogia rectius se habeat quam Antonini.

---

[1]) Etiam post Muellerum (Dor. I passim), Soldanum (Rhein. Mus. VI (1839), p. 421—444), Bursianum (quaest. Euboeicae p. 19—30) non superfluum id fore confido.

[2]) Ex ipsis verbis quae laudantur apparet scholiastam integra Pherecydis verba tradidisse; summa sententia hoc loco (sc. in secundo libro) ei erat in Danai filia; Dryopes ubi habitaverint obiter attingitur.

[3]) Acrisius Larissae occurrit apud Paus. II, 16, 2; ad Thermopylas in Callimach. epigr. 39 (Wil.); cf. Strabon. IX, 420.

Non pauci sunt auctores qui produnt Spercheum[1]) fluvium, Tymphrestum[2]) Oetam[3]) montes, Trachidem[4]) olim tenuisse Dryopes. Qui fines cum ad Maliacum sinum pateant, inde certe per Euripum navibus iter fecit ea nationis pars, quae Euboeae inferioris in ora occidentali, Styrae[5]) et Carysti[6]), atque in Cythno[7]) insula, quae paullo longius ad meridiem vergit, reperitur.

Et de Euboicis rebus etiam haecce consideres. Antoninus Liber. fab. IV[8]) enarrat Apollinis Herculisque potissimum litem de Ambraciae possessione actam coram Cragaleo, Dryopis filio, qui *γῆς τῆς Δρυοπίδος παρὰ τὰ λουτρὰ τὰ Ἡρακλέους* habitasse dicitur. In argumentando quas quisque affert res hoc nexu solutas nudeque

---

[1]) Aristoteles apud Strabon. VIII, 373; Pherecyd. l. l.

[2]) Strabo IX, 433 hunc montem, unde Spercheus initium capit, vocat Dryopicum, quod recte se habere immerito negans Bursianus (G. Gr. I, 87 n.) censuit scribendum esse *Δολοπικόν*.

[3]) Anton. Liber. fab. 32; Strabo IX, 434 dicit ad Oetam Dryopes quattuor urbes incoluisse.

[4]) Steph. Byz. s. v. *Δρυόπη*; Euphorion. ep. sep. in Anthol. Pal. VII, 651 (nam recte ex vocabulo *τρῆχυς* tradito viri docti elicuerunt *Τρῆχις*). In eis quae in schol. Apoll. Rh. I, 1212 traduntur: *τὸ πᾶν ἔθνος* (sc. Dryopes) *διὰ τὴν λῃστείαν μετῴκισεν* (sc. Hercules) *περὶ Τραχῖνα τὴν Θεσσαλικὴν πόλιν καὶ τὴν Οἴτην τὸ ὄρος πρὸς τοῖς ὅροις τῆς Φωκίδος, ἵνα τῇ πολλῇ τῶν ἀνθρώπων ἐπιμιξίᾳ τοῦ λῃστρικοῦ ἤθους ἀπόσχωνται* corruptelam latere inde ab O. Muellero concessum est. Nam ubicunque de transductis ab Hercule Dryopibus agitur, non nisi ad Peloponnesum res pertinet. Flagitamus igitur, ut hoc quoque loco item, si minus diserte dictum, attamen subauditum sit. Sin autem supplere velimus, non video cur ab Etym. Magni loco (p. 154, 7), qui cum scholio collaudato arctissime cohaeret (cf. Knaackium Herm. XXIII, 135), discedamus et non scribamus *μετῴκισεν ⟨ἐν τῇ Πελοποννήσῳ⟩* vel *εἰς τὴν Πελοπόννησον⟩*, cum scripserit Bethius (cf. Herm. XXIII, 319): *⟨εἰς Ἀσίνην⟩*. Tunc verbis inde a *περὶ Τραχῖνα* usque ad *Φωκίδος* scriptis ea regio, unde illi sunt deducti, significari ac fortasse ita posse scribi videtur: *⟨ἐκ τῶν τόπων τῶν⟩ περὶ Τρ.* Sed obstat quod non ex his locis, sed e Parnasso Delphorumque vicinitate transductionem esse factam et nexu rerum confirmatur, id quod infra videbimus, et saepius diserte proditur. Ergo ista verba, quamquam quin vetustiores quasdam Dryopum sedes indicent non dubium est, illo quidem enuntiato removenda atque undecunque interpolata esse mihi videntur. Nec scio an item sentiat Bethius (l. l.), qui eadem 'als eine Dublette zu dem Pherecydescitat auffasst'.

[5]) Herod. VIII, 46; Paus. IV, 34, 9.

[6]) Thucyd. VII, 57; Scymn. Chius 577; Diod. IV, 37.

[7]) Herod. VIII, 46; Steph. Byz. s. v.

[8]) E Nicandri Metam. et Athenadae Ambracicis.

positas cognoscimus fabulas esse reapse hominum per ora perlatas. Altera narrabatur Dryopum regem Melaneum, qui totam fere Epirum expugnavisset, liberos Eurytum et Ambraciam procreavisset, Apollinis filium esse; altera Hercules proditur non modo ipse quoque Epirum subiecisse olim, sed etiam generis auctor Corinthiorum esse qui Ambraciae constiterint. Altera Dryopum propria fuerit necesse est, quorum sedes Ambracicas scriptorum veterum geographorum testimonia[1]) confirmant; altera Corinthiorum Dorum; a quibus cum etiam Apollo inprimis coleretur, non prorsus in hac narratione a Corinthiis Ambraciae incolis alienus esse debuit; qua re et eius iussu colonos Corintho illuc deductos esse et alia e cognomine vindicis (*Σωτῆρ*), quod deo Ambraciae erat, ficta afferuntur. Dorum autem fabula sine dubio Dryopum recentior est. Utriusque enim nationis fabulas quis coniunxit contaminavitque ita fere ut nunc ante oculos nobis sunt, nisi ea Dorum pars, quae Ambraciam occupaverat? Deorum lite, sicut saepius fit, exprimitur duarum nationum uno loco congressarum certamen: Dryopum ac Dorum; hos in eo plus valuisse ea fabulae nostrae re demonstratur, quod non Apollini, cuius tamen tot tantaque in urbem merita enumerantur, sed Herculi propria urbs tribuitur[2]). Sed iam animum advertamus ad Melaneum Apollinis filium, qui Dryopum rex vocatur, eiusque filium Eurytum. Quid? quod idem reperiuntur Eretriae[3]); Eretriensi autem agro addicitur Oechalia[4]), cuius heros Eurytus notus est. Habemus rursus in Messeniae oppido Oechalia Melaneum, et ipsum Apollinis filium, atque sacris cultum Eurytum[5]). Porro erat etiam prope Trachidem Oechalia[6]), ad quam ille Eurytus referendus esse videtur, quem Dryopes patrem vocat

---

[1]) Dionys. Calliph. v. 30 (Muell. G. G. M. I, 239); Plin. n. h. IV, 1.

[2]) Neque a quo iudice tribuatur nihil refert. Dryops enim Cragaleus adhibitus est, ut iudicium ab adversario pro Hercule perpetratum eo magis efferretur. Idem heros sacris fruebatur Ambraciae; qua re probatur Dryops iuxta Dores tamen non nihil valuisse.

[3]) Steph. Byz. s. v. *Ἐρετρία*.

[4]) Hecataeus Miles. apud Paus. IV, 2, 3.

[5]) Paus. IV, 2, 3; 3, 10; 33, 4.

[6]) Steph. Byz. s. v. *Οἰχαλία*; cf. Mitteil. d. athen. Inst. IV, 206 sqq.

Ovidius Met. IX, 332, 357[1]). Tamen ne hinc quidem colligere nobis licet Eurytum omnino Dryopum proprium fuisse, quoniam eodem fere loco etiam Eurypylus pater Dryopes factus est[2]). Nec Messeniacae Dryopum sedes ullo modo explorari, Ambraciae vero Melaneus Eurytusque alia ratione explicari possunt. Primum enim Euboeae quosdam locos maritimos a Dryopibus per Euripum navigantibus esse occupatos comperimus: cui non persuadeatur facile fieri potuisse, ut Eretriae quoque in finibus pars eorum domicilia sumeret acciperetque Melaneum Eurytum heroes[3])? Deinde Euboenses tam Eretria quam Chalcide profectos vetustis temporibus in Epiri ora consedisse fabulae docent[4]): facilis est coniectura in eorum numero Dryopes fuisse.

Sed hoc satis. Redeamus ad mediae Graeciae locos. Tenebant enim Dryopes Doridem[5]) quoque postea vocatam et Parnassi vicinitatem Phocicam[6]). Hinc vero, ni fallor, etiam trans mare

---

[1]) Narrat enim de ea fabulam fere eandem quam Anton. Lib. in fabula XXXII. Nicandrea de Dryope, Dryopis filia, ad Oetam collocata.

[2]) Steph. Byz. s. v. *Δρυόπη· οἱ περὶ τὴν Οἴτην Δρύοπες ἀπὸ Δρυόπης τῆς Ἐρυπύλου θυγατρός.* cf. p. 23, 4.

[3]) Melanei pater Apollo eo magis retinebatur a Dryopibus, quia et ipsi in primis eum colebant (cf. p. 50). — Eretrienses res redolent partes, quas Diana Ambraciae cognominibus *Ἡγεμόνη* et *Ἀγροτέρα* culta tenet in Antonini narratione. Non enim immiscetur fabulae nisi de Phalaeco tyranno, ita ut ad summam rei propositae haud ita valere videatur. Quales vero partes ei sint, haec verba indicant: *Ἄρτεμις δὲ τὸ μὲν νεῖκος κατέπαυε τὸ πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα· παρ' ἐκόντος δὲ ἠξίου τὴν Ἀμβρακίαν ἔχειν.* Adiuncta est igitur propter intimam societatem Apollini maxima Eretriensium dea Amarysia.

[4]) cf. Wilamowitzium (Hom. Unt. p. 171 sq.) et Maassium (ind. schol. hib. Gryph. 1889 p. 8).

[5]) Diserte affirmat Herodotus VIII, 43; cf. I, 56. Doridis oppidum *Δρυόπην* afferunt schol. Aristoph. plut. 385; Tzetzes ad Lycophr. 980. ⟨*Δρυοπαῖος* ethnicum in titulis Delphicis apud Wesch.-Fouc. nr. 198, 362 legitur, quod tamen etiam ad Argolicum locum (p. 41, 4) pertinere potest.⟩

[6]) Paus. IV, 34, 9 et ei qui infra (p. 49, 3) afferentur auctores. — Locrenses sedes non satis certe erui possunt ex Amphisso, Dryopes ex Apolline filio (Anton. Liber 32). Nam sicut haec Oetaea est, ita et ipse ad Oetam montem condit urbem Oetam. Nihil igitur subesse videtur, nisi quod Amphissae incolis nexus olim fuit cum Oetaeis Dryopibus. — Non magis certa est res de Boeotica Dryope, quae inter Cadmeos habita est ('Phoenissa': Stat. Theb. II, 614; mythogr. Vatic. I, 164). Nam si quidem solidi quid subest, non minus Phocensium commercio licet tribuere, quam Boeoticas Dryopum sedes statuere. — Hylas, Herculis deliciae, quem Boeoti ad

iter fecerunt, quos quidem Herodotus I, 146 una cum Orchomeniis Minyis, Cadmeis, Phocensibus in earum numero nationum affert quae in Ioniam transmigraverint[1]).

E Phocide iterum navibus in Peloponnesum se transiisse ipsi Dryopes Asinaei narrabant teste Pausania IV, 34, 9[2]). Et Argolidis quos loços occupaverint vidimus; petiverunt vero etiam Arcadiam. Ita enim explicandum est quod et Dryopis quaedam filia Mercurio Panem in Arcadia peperisse dicitur[3]) et Arcade patre utitur nationis heros eponymus quem eam Hermionae et Asinae collocasse tradunt[4]). Atque hinc ipsum colligendum esse videtur inde ab Arcadia paullatim in illas urbes transmigrasse Dryopes; quod eis quae antea de Argolici itineris cursu statui, minime obstat.

Ex Arcadia repetita sunt haud pauca Troica: videntur eis adnumeranda esse Dryopum vestigia[5]). Nec scio an similis res sit de Cypro. Nam quod Diodorus IV, 37 ibi Dryopes pedes fixisse tradit, confirmatur Cyprio oppido Asine. Hoc nomen proprium tenuerunt Dryopes eique Peloponnesiaci, quippe quod Argolidis Laconiae Messeniae quas commemoravimus urbibus erat. Qua re non, ut Diodorus, ex ipso cum Hercule certamine i. e. inde a Maliaco sinu in Cyprum navigasse illos censeo, sed posteriore paullo aetate e Peloponneso. Arcadiae enim et Laconiae incolarum Doribus vetustiorum partem ex Achaiae ora profectam in Cypro

---

Pontum secum portaverunt (cf. Wilamowitz. Heracl. I, 280), Dryopis Thiodamantis filius vocatur ab Apoll. Rhod. I, 1213 et Mnasea in schol. Apoll. Rh. I, 131. Hoc ex eis quae infra de Thiodamante exponam primarium esse nequit. Et profecto vetustior auctor Hellanicus (schol. Apoll. Rh. I, 131; 1207) Thiomenem vocat Hylae patrem; hunc proprium duco, cui a scriptore quodam simillimum nomen Thiodamantis, ipsius iam Dryopis facti, substitutum atque inde ab Alexandrinis dominatum est.

[1]) Improbabilia protulit Soldanus l. l. p. 442 sq.

[2]) cf. Diod. IV, 37.

[3]) Homer. hymn. in Pan. v. 30 sqq. Ex hac expressam esse Dryopen nympham, Tarquiti Rutuli e Fauno matrem (Verg. Aen. X, 550 sq.) mihi quidem persuasit Weizsaeckerus (Rosch. M. L. s. v. Dryope).

[4]) Aristotel. apud Strabon. VIII, 373.

[5]) Habitaverunt circa Abydum ante Thraces: Strabo XIII, 586. Dryops inter Priami filios (Il. XX, 455; Apollod. III, 12, 5) et Aeneae sodales (Verg. Aen. X, 346) numeratur.

insula consedisse et apud scriptores[1]) legimus et sacrorum dialectique vestigiis hodie quoque cognoscere possumus[2]).

Sed haec hactenus de locis, quos Dryopum natio olim tenuit, decursu temporum mutatis[3]).

2) Vertimur ad ceteras res quas veteres de eis tradiderunt, dico praesertim fabulas de certamine cum Hercule facto. Quod quibus locis contractum sit inter auctores non convenit. Secundum Herodotum quidem (VIII, 43) Dryopes ab Hercule Maliisque per vim pulsi sunt ex ea regione quae postea Doris vocata est. Neque aliud sentire videtur Diodorus IV, 37, cum et ipse de Maliis dicat; quod vero exordium bellandi ponit: *Φύλαντος*[4]) *τοῦ Δρυόπων βασιλέως δόξαντος εἰς τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν παρανενομηκέναι*, hoc nexu rerum segregandum est, quoniam et diversum indicat locum et tota narratio omnino ab eis rebus, ad quas illud spectat, abhorret[5]). Eiusdem duarum fabularum quae hic subest contaminationis vestigia manifestiora exstant apud Apollodorum II, 7, 7. Is enim primum quidem narrat Herculem e Trachide bellum Dryopibus intulisse, deinde novo narrationis de Aegimii ac Lapitharum certamine initio facto addit Lapitharum socium Lagoram, Dryopum regem nefarium, ab Hercule una cum liberis interfectum esse

---

[1]) Lycophr. Al. 586 sqq.; cf. Herod. VII, 90; Strabo XIV, 682; Steph. Byz. s. v. *Λακεδαίμων*.

[2]) Asine urbs rursus in Cilicia reperitur (Steph. Byz. s. v.), de qua nihil certius habeo quod afferam; nec de Lemnia muliere Dryope (Valer. Flacc. Arg. II, 174).

[3]) Ael. Aristides (Panath. I p. 177 Dind.) laudat fugientes Dryopes in Attica olim receptos. Unde fugerint non constat; de Argolide cogitat Wilamowitzius (Phil. Unt. I, 134), de Maliaco sinu Toepfferus ('Aus d. Anomia' p. 44). Et is Dryopibus re vera deberi arbitratur Atticum heroem Antiochum, quem Hercules genuisse dicitur e Meda, filia Phylantis (Paus. I, 5, 2; X, 10, 1); hunc autem ipsum Dryopum regem fuisse affirmant Diodorus IV, 37 et tabula Farnesiana (Jahn-Michael. griech. Bilderchr. p. 71, 270 sqq., ubi re, ut videtur, perturbata Medae istius et Herculis filius vocatur Ctesippus). Quid? Ipsisne a Dryopibus tali ratione Herculem suorum heroum numero insertum esse? Num etiam ut Tlepolemus a Thesprotorum regis filia atque Hercule ortus esse diceretur factum est a veteribus Thesprotis et non ab Heraclidis? Illa igitur genealogia Dryopum quidem Atticorum nullum videtur vestigium; restat dubia.

[4]) Idem rex etiam apud Paus. IV, 34, 9.

[5]) Accuratiora videas p. 49.

epulantem in Apollinis sacro, quo quin Delphicum significetur dubitari nequit. Nec scio an contaminationem quandam redoleant etiam ea quae apud Strabon. VIII, 373 (haec non iam Aristotelica) leguntur: ἐκ τῆς περὶ τὸν Παρνασσὸν Δωρίδος Dryopes ab Hercule eiectos esse. Iure enim non Parnasso, sed Oetae monti Doris attribuitur. Unice vero Parnassum certaminis locum indicant Pausanias IV, 34, 10 (ipsorum Dryopum narrationem secutus) et Nonnus Dionys. 35, 89 sq.[1]).

Sicut loci, ita causae certaminis diversae traduntur. Aut enim propter Thiodamantem[2]) contrahitur aut propter auxilium Lapithis,

---

[1]) Hic Deianira Herculem pugnantem adiuvat; cf. schol. Apollon. Rh. I, 1212.

[2]) Fabula qualis apud Apollon. Rh. I, 1213 sqq.; schol. ad l.; Nonnum ad Gregor. inv. I, 41 (Westerm. myth. Gr. p. 370 sq.) ⟨cf. Suid. s. v. Βοῦθος⟩; Apollod. II, 7, 7 eodem fere modo enarratur, obiter perstringitur a Callimach. hymn. Dian. 161 et Ovidio Ib. 487, haec est: Hercules per Dryopum fines iter faciens et ipse (vel puer Hyllus) fame vexatus a Thiodamante qui agrum arans occurrit, cibum petivit; qui cum dare nollet, ille unum bovum per vim iugo solvit mactatumque ad epulas adhibuit. Inde Thiodamante auctore Herculi cum Dryopibus bellum ortum est. — Iam eadem fere fabula de Hercule prope Lindum Rhodiam urbem culto traditur apud Conon. narr. XI; Apollod. II, 5, 11; Lactantium inst. div. I, 21; Philostrat. imag. II, 24; Ammian. Marc. 22, 12, 4. Est autem adnotandum ex horum auctorum numero tres priores non nisi de agricola quodam verba facere, unde proiectius conclusit Knaackius (Herm. XXIII, 140) talem re vera fuisse propriam fabulam Lindiam, Philostratum vero falso ad illum agricolam nomen Thiodamantis ex ea quam supra adumbravi fabula transtulisse. At confirmatur Philostrati narratio Ammiani consensu, ut monuit Maassius (Deutsche Ltztg. 1888, p. 1640). Cui denuo U. Hoeferus (Con. p. 113) repugnans refugit ad fabularum quoddam compendium, ex quo duo illi auctores contaminatam iam fabulam itidem hauserint. Sed cui haec opinio arridet? Et cur tandem, quaeso, Lindia quidem fabula contaminata habetur ac non vice versa Dryopica? Est enim unum, quod in hac omissum, in illa summi momenti est. Thiodamas scilicet bove erepto in Herculem convicia maledictaque effundit. Haec autem res excogitata est, ut explicetur qua mira ratione Lindii bovem Herculi sacrificantes exsecrationes adhibeant. Lindia igitur fabula cum ipsis Herculis sacris arctissime cohaeret. In Dryopica vero illa ipsa res est missa, nec forte missa, sed certo consilio alia re, scil. bello parato, expleta est. Ergo fieri nequit ut fabulam sacraque ab Oeta Lindum propagata esse statuamus. Et sponte alteram fabulam altero loco esse fictam quis est qui credat? Restat igitur nihil aliud nisi ut e Lindia deprompta sit altera. Quod hocce modo factum esse conjecto: Dores Argivi cum in Rhodo insula consedissent, eum quem in fabula Lindia adversarium Herculis exstare videbant Thiodamantem, Dryopem quendam esse sibi finxerunt. Contra Dryopum enim nationem non modo ipsi in Argolide pugnas fecerant, sed etiam Herculem olim ad Oetam conflixisse suis fabulis narra-

Aegimii adversariis, latum[1] aut propter scelus a regibus Dryopum sive Phylante sive Lagora confectum in Apollinis sacrum Delphicum[2]). Atque huic posteriori rei plures adnectuntur: Dryopes victi ab Hercule Apollini Delphos dedicati, inde dei iussu in Peloponnesum transducti sunt[3]). Haec enim necessario nexu inter se contineri mihi quidem apparet: deo nimirum, in quem scelus ac sacrilegium erat commissum, ipsi datur victae nationis nefariae potestas arbitriumque. Atqui facta esse haec omnia Dryopes negabant, scil. in fabulis quas a maioribus acceperant traditas, tale quid de certamine cum Hercule facto nihil narrabatur; victos Dryopes in remotiores Parnassi locos refugisse, postea navibus in Peloponnesum ad Eurystheum transiisse (Paus. IV, 34, 9). Similis est Diodori IV, 37 narratio, quoniam ne in ea quidem dedicationi etc. locus restat[4]). Quae cum ita sint, summa movetur suspicio totam illam de Apolline Delphico ac Dryopibus fabulam a Doribus demum certo consilio fictam esse.

Iam vero in eo est ut in medium proferatur O. Muelleri (Dor.

---

bant. Haec res ubi credi coepta est, facile potuit fieri ut ad Herculis illud certamen referretur et causa belli statueretur. Qua in re quamquam unum, quod ad Herculem Lindium pertinebat, sublatum esse vidimus, tamen eiusdem alterum rursus vestigium in tali quoque fabula retineri videtur: cognomen dico *Βουθοίνας*, unde vel Callimachus, si recte statuit Knaackius (Herm. XXIII, 133 sq.), in rebus Dryopis Thiodamantis et Herculis enarrandis exordium fecit. Deum Lindium quod Lactantius *Βούζυγον* vocat, non abhorret; sed quia *Βούζυγος*, idem esse bene potest *Βουθοίνης*, ut monuit Maassius. — Qui poeta vel auctor mythographus talem illam narrationem primus vetustarum Herculis fabularum orbi immiscuerit nescimus. Quod vero primaria fabula Lindia, in qua Dryopibus nondum locus erat, iuxta servata est quis miretur? Ex Apollonii Rhod. libro qui vocatur *Ῥόδου κτίσις*, ad recentiores eam effluxisse divinat Knaackius (l. l. p. 141).

[1]) Apollod. II, 7, 7; cf. p. 32, 3.

[2]) Ibid. (Diod. IV, 37).

[3]) Paus. IV, 34, 9; de dedicatione conferas etiam Servium ad Aen. IV, 146; de transductione schol. Apoll. Rhod. I, 1212, 1218; Suidam s. v. *Κάπρος*; Etym. M. p. 154[7], 288; nec omittuntur Dryopum mala facinora.

[4]) Non satis mihi liquet num Strabonis (VIII, 373) verbis Aristotelicis: *ἐκ τῶν περὶ Σπερχεῖον τόπων ὄντας αὐτοὺς* (scil. Dryopes) *Δρύοπος τοῦ Ἀρκάδος κατοικίσαντος ἐντεῦθα* (scil. Hermionae et Asinae) indicetur transductio quam e media Graecia in Peloponnesum perpetrarit (non Hercules, sed) Dryops. Si quae indicatur, attamen inde ab ipso Spercheo facta sit non necesse est; attingitur vetustior Dryopum patria; quae intercesserunt omittuntur, non negantur.

I, 43, 257) opinio, qui Dryopes antiquissimis illis temporibus re vera Apollini Delphico dedicatos esse et inde multo recentiore aetate sacram servitutem Craugallidarum qui vocantur remansisse censuit. Craugallidis[1]) enim, qui Cirrhaeis finitimi circa Delphos incolebant locum Craugallium, propter scelera ac latrocinia in Apollinis sacrum commissa ab Amphictyonibus Solonis aetate bellum illatum est, ac agro direpto ipsi libertate orbati deo dedicati sunt[2]). His in rebus vetustioris servitutis vestigium, quale vir ille doctissimus miro errore sibi finxit, nullum inesse recte perspexit etiam Soldanus (l. l. p. 438). Significat autem Craugallidarum nomen proprie gentem quandam, quam accuratius docet Hesychii glossa *Κραχαλίδαι* (sic)· *τῶν Κρισσαίων βασιλεῖς ἢ διάφορον γένος*[3]). Qui auctor flagitatur Craugallus nusquam reperitur; tamen non dubium est quin idem sit[4]) Cragaleus Dryopum ille heros, quem ex Euboea Ambraciam secum portaverunt[5]). Ergo Dryopum pars fuerunt Craugallidae. Iam si rursus ad eam fabulam respicimus, quam ut fictam a Doribus duceremus compulsi sumus, qua data facultate possit ficta esse elucet: tum nimirum cum reliquiis Dryopum Craugallidis reapse talia acciderant per Amphictyones inprimisque Athenienses. Haec cum viderent Dores, suum heroem olim item fere in illam nationem, quacum ipsi in Peloponneso contenderunt, fecisse excogitarunt.

Quae cum ita ponimus, ea res tollitur, qua potissimum, opinor, O. Muellerus adductus est ut Dryopes primo ab Apolline colendo alienos fuisse putaret. Immo sunt certa quaedam indicia eximium locum apud eos illum tenuisse, quae hic complectar: a) Apollinis filii esse feruntur et Dryops heros eponymus[6]) (p. 41, 1) et Amphissus ex Dryope Oetaea natus qui etiam *ἐν τῇ Δρυοπίδι* Apollinis templum condit (Anton. Lib. 32). — b) Apollo Pythaeus Dryopum Peloponnesiacorum proprius fuit. — c) Asinaei Messenii

---

[1]) Ita scribi iubet Didymus (apud Harpocr. s. v.), cum scriptum videamus etiam *Κραγαλλίδαι* (vel *Ἀκραγ.*), *Κραναλλίδαι*, *Κραχαλίδαι*.

[2]) Aeschin. in Ctesiph. 107.

[3]) Inde nomen transiit ad incolas agri Crissaeorum, ut videtur, cuiusdam partis; conferas Atticum usum et gentium et demorum nominum.

[4]) cf. Muellerum l. l.; immerito negaverunt Soldanus et Bursianus (p. 20).

[5]) v. p. 43 sqq.

[6]) Cf. Paus. IV, 34, 11.

sacra, Apollinis a maioribus accepta sanctissima tenebant (Paus. IV, 34, 11).

Haec habui quae de Dryopibus exponerem. Nam Pelasgi utrum fuerint necne disputare, ut Muellerus Soldanus Bursianus disputaverunt, et lubricum duco, cum certum fundamentum desit, nec quales nunc sunt de Pelasgis virorum doctorum sententiae, opportunum.

Nunc dici potest qualis fere ratio inter Minyas et Dryopes intercedat. Iuxta enim ambae nationes compluribus locis habitaverunt; si minus in Thessaliae superioribus regionibus, attamen certissime ad Spercheum [1]) concurrerunt et ad Parnassum [2]). Quid? nonne ita satis facile potuit fieri ut Clymenus Clymeneque alteri nationi ab altera traderentur? Quamquam Dryopes a Minyis accepisse, non vice versa, quales sunt res, non fortiter contendere licet: hic consistimus.

Ad extremum igitur ut ad Coam Clymenen redeat disputatio: Minyisne an Dryopibus debeatur per se erui nequit. Haec igitur hactenus.

VIII.

DE SACRIS COORUM.

Juppiter cognomine *Πολιεύς* Cois urbis civitatisque patronus erat (Paton et Hicks, inscript. of Cos nr. 37)[3]); cui publice sacrificia parabantur mense Batromio[4]). Immolatur[5]) bos die XX.;

[1]) De Minyis ibi conditis videas p. 23.

[2]) Minyarum sedes elucent e Steph. Byz. s. v. *Κυπάρισσος*; nec non proximi erant Orchomenii Minyae.

[3]) Fragmentum est, sicut alia quae videbimus, fastorum sacrorum tum, ut videtur, compositorum ad res sacras civium constituendas, cum universa Cos civitas condita erat ann. 366.

[4]) Mensis nomen in nostro titulo non servatum elucet ex altero fastorum fragmento Paton. nr. 38, 10 sq., ubi ad illas ipsas Iovis Poliei caerimonias recurritur. — De mensibus Cois videas apud Bischoff. de fast. Gr. antiqu. p. 381 et Paton. p. 330.

[5]) Hostiae carnis proprias accipiunt partes Nestoridarum gens, medici, tibicen, fabri aerarii, figuli (v. 53 sqq.).

antecedunt altero quodam die, qui vix dubie XIX. erat[1]), caerimoniae hostiae eligendae, cum certo numero certoque ordine boves in forum pulsi ad sacerdotes (ἱερεύς et ἱεροποιοί) mensae adsidentes praeteraguntur[2]), quod usque eo repetitur donec apta hostia reperta est. Hac in tota re maxime est monendum in Pamphylorum Hylleorum Dymanum tribus singulas earumque particulas cadere partes quasdam[3]). — Plures caerimoniae res ad deam quae vocatur Ἰστία Ταμία[4]) attinent. Nam inter boves eligendos si quis ὑποκ[ύψ]ει (?) Vestae immolator (v. 20); electi bovis pretium deae a civitate solvitor (v. 26); ipse ad aedem eius ducitor (v. 28). — Templi quidem Iovis Poliei nulla fit mentio[5]), sed tantummodo arae,

[1]) Apparet et ex ipso rerum quae attinent tenore et ex certo concentu caerimoniarum quae in Iovis Machanei sacrificio adhibentur: eligitur bos die cuiusdam mensis XI., immolatur die XII. (Pat. nr. 38, 9 sqq.).

[2]) Discernenda est sententia verborum ἐλάντω ἐς τὰν ἀγορὰν et ἐπελάντω sc. ἐπὶ τὰν τράπεζαν. cf. vv. 8/11; 14/15; 17/19. — Quem hinc Bechtelius (Goetting. Nachricht. 1890 p. 35) sibi finxit morem boves reapse venandi, minime agnoscimus; tunc vero evanescit fere consensus profanorum ludorum quae in Thessalia potissimum reperiuntur Taurocathapsiorum; ac cum velut in Atheniensibus Dipoliis simili modo boves ad aram agantur, hac ratione Coa Iovis Poliei sacra a Thessalis ducere non licet.

[3]) Has aliter paullum distribuendas esse puto ac distribuerunt Patonius et Hicksius. Quoniam enim v. 8 primi in forum boves agere, deinde praeteragere iubentur Pamphyli, iterum idem facere (v. 14) iubeatur necesse est altera tribus, tertium postremo tertia tribus (v. 16, ubi breviter dictum est ἐπελάντω pro ἐλάντω ἐς τὰν ἀγορὰν καὶ ἐπελάντω). Quare his locis pro [ἀτέρους] et AT[ἔρους] tribuum nomina ponantur; et litteris AT unice idque facile substitui possunt Δ Υ [μᾶνες], unde v. 14 relinquitur [Ὑλλεῖς]. Haec si recte posita sunt, etiam vv. 12, 13 aliter atque apud Patonium legendi sunt. Tunc enim non tres modo boves, sed ter terni Pamphylorum sunt ab eisque praeteraguntur. Itaque sic suppleo v. 12: αἰ[δὲ μὴ, ἀτέρους τρ]εῖς ἐλάντω — v. 13 αἰ δὲ [μὴ, ἐλάντω τρε]ῖς τοὺς λοιποὺς. Unius igitur tribus tres partes efficiuntur, quibus singulis sunt rursus tres boves; quod optime convenit eis quae eleganter coniectavit Hicksius (introd. inscript. p. 33) istas partes fuisse ἐνάτας (totius nimirum civitatis nonam partem) hasque rursus ternas continuisse χιλιαστύας. Nam unus bos e singulis chiliastyis (i. e. XXVII), sicut in ἐπεκρίσει (v. 17), ita etiam in priore κρίσει haud dubie electus est (vide v. 3).

[4]) Eiusdem deae res sacrae attinguntur in sacrorum fastorum fragmento, quod Isthmi repertum tamen non sola istius demi sacra indicat; nam ut Ἀσκλαπιὸς ἐν Ἰσθμῷ, ita Ἑκάτα ἐμ πόλει affertur. (Pat. nr. 401. Πα]νάμου νευμηνίᾳ· Δ ..... καὶ Ἰστίᾳ Ταμίᾳ ....)

[5]) Certe Athenis, fortasse etiam Rhodi Iovi Polieo ara modo, non templum erat (cf. Dittenberg. de sacris Rhodiorum II, p. 6. Halis 1887).

in qua die XIX. Iovi sus mactatur (vv. 33/34) et foci (ἑστία), apud quam die XX. incruenta sacra offeruntur (v. 48 sq.). Sacerdos vero apparet etiam in altero titulo (Pat. nr. 125)[1], unde tamen continuone an annuo functus sit munere dispici nequit.

Iovi adiuncta est Ἀθαναία Πολιάς. Et ipsi die Batromii XX. Coi ovem sacrificant (Pat. nr. 37, 56 sqq.); nec tamen locus, quem cognoscere maxime iuvat, additur. — Utrum die XXX. cuiusdam mensis publicum sacrificium uni oblatum sit Ἀθαναί]ᾳ Πολιάδι (Pat. nr. 40, b) an simul etiam Iovi non iam perspicitur. — Proprium fuisse Minervae sacerdotem docet non titulus nr. 125, at nr. 37, 57. — Eadem dea Νίκα cognominata est in altero fastorum Coorum fragmento (Pat. nr. 43)[2].

Sunt autem alia quoque apud Coos sacra Iovi ac Minervae communia.

Ac primum proferantur Ζεὺς Μαχανεύς et Ἀθαναία Μαχα[νίς vel νῖτις] (Pat. nr. 38). Illi qualia sacrificia eadem atque Iovi Polieo ratione parata sint monuimus; nec vero eligebatur mactabaturque bos nisi tertio quoque anno[3], cum vulgo tres oves immolarentur. Item fere etiam Minervae tertio quoque anno insignis hostia (δάμαλις κριτή) offerebatur die XII. — Sacerdos proprius Iovi non fuisse videtur; nam instaurat ipsius sacrificium Duodecim Deorum sacerdos, id quoque, opinor, παὰ τὸγ κοινόν sc. βωμόν, ut Hicksius subaudit, at non Duodecim Deis inter se communem, sed his Iovique. — Origo horum sacrorum aperte Peloponnesiaca est. Argivi enim Iovis Machanei testis est Lyceas apud Paus. II, 22, 2: Corinthium autem et Megarensem inde ducere licet quod et Corcyrae (Bischoff. p. 372) et Byzantii Chalcedoneque (Bischoff. p. 374) mensi cuidam nomen erat Μαχανεύς (cf. etiam Bergk., Beitr. z. griech. Mon. p. 18). Minervae vero Machanitidis delubrum exstabat ad Megalopolim (Paus. VIII, 36, 5).

---

[1]) Εἰρηναῖος Εὐαράτου Εὐάρατον Ἀχελῴον ἱερατεύσαντα Ἀπόλλωνος Δαλίου καὶ Διὸς [Π]ολιέως καὶ Ἀθάνας καὶ Δυώδεκα Θεῶν καὶ μοναρχήσαντα.

[2]) Iure, ut opinor, censuit Patonius illos non publicos esse fastos, sed probabiliter gymnasii Coi.

[3]) Hoc satis certe probatur verbis quae adduntur τὸ ἄτερον ἔτος, utcunque explicantur sequentia ἐφ' οὗ κλέωντι Καρνεῖαι.

De sacrificiis quibusdam ac ludis gymnicis Iovi et Minervae communibus agitur in Coo titulo mutilo Pat. nr. 34. Iovi cognomen quoddam fuisse videmus e v. 4: τῷ τε Διΐ τῷ . . . . . Utrumque numen singulos sacerdotes habebat (v. 45). Et Iovis quidem sacerdotem e familia Pythoclis creari vv. 8—10 iuberi videtur; de eiusdem hominis filiis posterisque etiam alia verba fiunt. Quas ob res dubium non est quin hic eadem Πυθόκλεια Διΐ Σωτῆρι instituenda tractentur, quae Artamitii mensis die X. celebrari legitur in fastis supra collaudatis Pat. nr. 43, cum praesertim Artamitium noster quoque titulus saepius exhibeat neque aetate recentior sit quam ille.

Phratriarum patronos Iovem Minervamque nobis praebet lapis Coe repertus: Δ]ιὸς Φατρίο[υ] (καὶ) Ἀθαναίας Εὐρυανακτ[ι]δᾶν (Pat. nr. 150; Dubois de Co ins. p. 58). Euryanactidae (cf. p. 35, 3) primitus gentem significant. Cum vero phratriarum numina ita ab eis culta videamus, adducimur ut putemus ipsam esse phratriam, quae quia illi plurimum valebant, nomen ab eis accepit. Nam item fere Athenis et sola quae novimus phratriarum nomina sunt patronymica Ἀχνιάδαι Θεϱϱικ[ιάδ]αι et Juppiter Φράτριος ac Minerva Φρατρία proprii phratriarum erant[1]).

Iovis et Minervae societatem, quoniam quater certe cognovimus, quinto statuere coniectando licebit. Recte nimirum mihi videtur Patonius in Coo titulo dedicatorio nr. 55 supplevisse Διΐ Ἀλσεί]ῳ καὶ Ἀθάνᾳ Ἀλσείᾳ. Ex his deis est secundum analogias derivandum mensis nomen Ἄλσειος.

Hoc loco priusquam de Iove pergimus, ceteras res sacras quae de Minerva Coa traditae sunt perlustremus. Hesychio (s. v. ἀγϱ.) teste ad sacra deae curanda novem quotannis virgines eligebantur nomine ἀγϱεται, quod quomodo recte explicetur, non mihi liquet. — Privatim Minerva colebatur a collegiis quibusdam, quae duo in Cois titulis reperiuntur (Pat. nr. 157, 158); quibus cum principes sine patris nomine adscripti sint, homines peregrini vel servi interfuisse videntur. — Lapidis inscriptio exeuntis quinti a.

---

[1]) Cf. maxime Buermannum Fleckeis. Jahrb. Suppl. IX, 608—619; 646. Nec minus in Chio insula fuit Clytidarum phratria, quae et ipsa Iovem colebat (Dittenb. syll. nr. 360).

Chr. saeculi reperta est Coe haec: *ὅρος τέμενος Ἀθηνᾶς Ἀθηνῶν μεδεόσης* (sic) (Pat. nr. 148). Est autem sane quod suspicatus sit Foucartus (apud Patonium) lapidem translatum esse Samo (cf. C. J. G. 2246). — Ducta sunt a Minerva decem fere Coorum civium nomina (cf. Pat. ind. p. 366).

Redeamus ad Iovem. Cognomine *Ἱκέσιος* gentis Simonidarum patronus erat (Pat. nr. 149; Dub. p. 59). — Juppiter *Ἐπικιχράδας* (Hesych. s. v.) quid sibi velit non intellego. — *Ζην]ὶ Ἀχαιῷ* num recte Patonius in Coo titulo nr. 41, cuius paucae in singulis versibus servatae litterae tamen certe sacrificandi quaedam praecepta indicant, suppleverit, omnino dici non potest. Nobis quidem illo cognomine tantummodo Ceres (Herodot. V, 61) et Minerva (Aristotel. de mir. aud. 109) compertae sunt. — Iovem *Πάσιον* eundem qui vulgo *Κτήσιος* vocatur, Patonius subaudivit hoc loco tituli Coi de Hercule Diomedonteo compositi: *θνόντω δὲ τῷ Πασίῳ* [*καὶ*] *ταῖς Μοίραις*[1]) *οἱ κατ' ἀνδρογένειαν* (Pat. nr. 36, col. IV, 40 sq.; cf. 37 sq.; v. p. 61 sq.). Est sane lepide excogitatum, tamen non satis certe, ut opinor, conditum. Etenim Pasius cum reapse cognomen dei cuiusdam esse nulla sit necessitudo, quidni fuisse potest unus ex maioribus (*πρόγονοι*) qui sacris fruebantur? (vide col. IV, 21, 27). — Coo quoque mensi cuidam *Πάναμος* nomen erat, quod hoc loco commemoro quia Bergkius (Beitr. z. griech. Mon. p. 68) eo rettulit Iovem Panamum eumque e feriis, ut visum est, Rhodiis *Διπανάμια* ductum. Tamen hanc Bergkii sententiam recte fortasse abiecit Dittenberger. de sacris Rhod. II, 9 sq.

Atque haec de Cois Iovis sacris; erant vero etiam in demis insulae.

Σε]βασ(τ)ῷ Διὶ Σ(τ)ρατίῳ i. e. Caesari cuidam Stratii Iovis numine praedito dedicat quispiam in titulo, qui prope locum 'Pyli' repertus est (Pat. nr. 347). Et ad demi res sacras eum pertinere comprobant quae adscripta sunt: *δαμαρχεῦντος Γαΐου Νωρβανοῦ Μοσχίωνος.* Hunc demum fuisse Halentem statuit Patonius. Originem dei qui inquirit vel ipso cognomine in Cariam ducitur (cf. Strabon. XIV, 660; Plut. qu. Gr. 7). — Idem concedere oportet

---

[1]) Cf. Coa nomina *Μοιραγένης, Μοίριχος*: Pat. nr. 10 c. 38, b. 54.

de Hecate Stratia quae et in ipsa Co urbe (Paton. nr. 401)[1]) et in media insula[2]) colebatur. Laginae quidem in agro Stratonicensi exstabant Hecates sacra Romana potissimum aetate celeberrima (cf. maxime bull. de corr. XI, 5 sqq.); inde igitur fere Coam deam esse petitam probabile est[3]), at vereor ne non tam antiquis temporibus, quam Rayetius et Duboisius (p. 42 sq.) arbitrantur. Ab Hecate Coos mire multos (cr. XVIII: cf. Pat. ind. p. 370) nomina sumpsisse et Dubois. p. 43 et Dittenberger. l. l. p. 15 sq. adnotaverunt.

Restat Juppiter Pluvius, qui in demo quodam insulae (sc. Antimachiae, si loco ubi titulus Pat. nr. 382, Dub. p. 39 repertus est confidere licet) a privato sodalicio colebatur quod vocant *τὸ κοινὸν τῶν συμπορευομένων παρὰ Δία Ὑέτιον*. Hi ex potiore parte cives istius demi fuisse videntur, ex altera autem parte etiam homines alienigenae vel servi. Nam in ipso titulo aperte indicatur *ὑποδοχὰ τῶν δαμοτᾶν καὶ τῶν ἄλλων πάντων*; quod vero deinceps soli *δαμόται* afferuntur, breviter dicendi causa significatio a potiore petita est[4]). — Sacerdotes vocantur *ἐπιμήνιοι*. Templum deo non fuisse videtur, sed tantummodo ara, id quod suadet ea res quod decretum sodalicii in lapide incisum ponitur *πὰρ τὸν βωμὸν τοῦ Διός*, cum alias decreta poni soleant *ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ δεῖνα*. Et pluvium deum sane sub divo tenere sedem decet[5]).

In nummis Cois Iovis imago conspicitur Neronis aetate: Mionnet suppl. VI, p. 580.

Hominum nomina Coorum ab eo derivata sunt fere XXV (v. Pat. ind. p. 369/70; 372).

Aesculapius, propter quem Cos insula summam famam adepta est, plures ibi sedes habuit.

---

[1]) Eo quod ibi legitur *Ἐκ]άτᾳ ἐμ πόλει*, alia in insula deae sedes opponitur.

[2]) Testimonio sunt duo tituli dedicatorii, alter Halasarnae repertus (Pat. nr. 370, Dub. p. 42: dedicant Apollinis sacerdos et sex *ἱεροποιοί*), alter ad Antimachiam (Pat. nr. 388: dedicant rursus sacerdos et sex *ἱεροπ*: suntne hi Hecates ipsius proprii?).

[3]) Conferas *Μέροψ Ἀσκληπιάδου Στρατονικεὺς* Pat. nr. 207.

[4]) Non recte igitur dicit Dubois p. 40.

[5]) Cf. Iovem Pluvium Argis (Paus. II, 19, 8) et Lebadeae (Paus. IX, 39, 4).

Celeberrimum eius templum in suburbio erat (Strabo XIV, 657). In eo potissimum publica qualiacunque decreta propalam locabantur (Pat. nr. 10, 13, 14). Feriarum duae notiones in titulis exstant: praecipuo splendore celebrata *τὰ μεγάλα Ἀσκλαπίεια*, sollemnia autem, ut videtur, *τὰ Ἀσκλαπίεια γινόμενα κατὰ πανήγυριν* (in decreto Halicarnassensium de Coo cive condito Pat. nr. 13; Dub. p. 12). Utraque ad publice quempiam honorandum adhibebantur; in magnis vero ludis certamen agebatur (Pat. nr. 14) idque saltem gymnicum (Dub. p. 14: *Ἀσκλάπεια τὰ μεγάλα παῖδας Ἰσθμικοὺς πένταθλον.*

Adiuncta deo erat Hygiea. Ambobus sacrificare *οἱ ἀεὶ ἐπιμηνιεύοντες* iubentur in Coo titulo, qui propter litterarum formam haud scio an tertio vel secundo a. Chr. saec. tribuendus sit (Pat. nr. 35; Dub. p. 48). Idem fere cadit in alterum titulum de sacerdotio vendendo conditum (Pat. nr. 30); in quo certe continentur Aesculapius Hygieaque; *Ἠπιόνα* vero num haec quoque penitus consociata fuerit, quam mutilus est titulus, discerni nequit. Cui ut hoc loco femina sacerdos datur, sic alio vir apparet: scil. clarissimus ille medicus Cous Xenophon, quem *ἱερέα δι[ὰ βί]ον τῶν Σεβαστῶν καὶ Ἀσκλαπιοῦ* [*καὶ*] *Ὑγίας καὶ Ἠπιόνης* fuisse docet titulus apud Pat. nr. 345; Dub. p. 55 sq. expressus. Tamen ne hinc quidem certe elucet Aesculapio Hygieae cum Epione communia sacra fuisse.

Translatum est numen Aesculapii in Caesarem quendam (Pat. nr. 92, 130).

Altera sedes dei erat Isthmus. Diserte enim vocatur *Ἀσκλαπιὸς ἐν Ἰσθμῷ* in Isthmio illo fastorum fragmento (Pat. nr. 401). Ibidem praecipitur in diem quendam sacrificium soli, ut videtur, Hygieae offerendum (*τᾷ αὐτᾷ ἁμ]έρᾳ Ὑγιε[ίᾳ . . . . . .*) Hanc omnino etiam Isthmi cultam esse ex illo titulo non certe efficitur; confirmatur autem aliquantum reperta ibi inscriptione de re quadam quam monarchus[1]) et octo hieropoei (ex una aperte familia)

---

[1]) Hic magistratus paullum offendit, si quidem titulus vere Isthmius agnoscitur. Hicksius (introd. p. 33) inde coniectavit Isthmo demo fortasse praefuisse reapse monarchum, ceteris vero demarchum.

Ἀσκληπιῷ καὶ Ὑγιείᾳ dedicaverunt (Pat. nr. 406)[1]). Tertius titulus Isthmius (Pat. nr. 408; Dub. p. 49) docet Aesculapio insignia Προκαθηγεμών et Σωτήρ[2]) cognomina indita esse.

Halasarnensis exstat titulus, qui Aesculapii templum ad publicum usum dedicatum indicat (Ross. Hell. I, 93; desideratur apud Patonium).

In nummis Cois videmus Aesculapii caput inde a secundo fere a. Chr. saec. (v. Patonii nummorum catal.), Hygieam solam cum serpente sacro ac patera imperatorum Romanorum aetate (Mionnet III p. 404, 68; suppl. VI p. 581).

Hominum Coorum nomina non plura quinque ad Aesculapium attinent.

Apollo apud Coos non unus valebat. Delii[3]) sacerdos apparet in Coo titulo quem supra exscripsimus (Pat. nr. 125). Ad templum eius (Δάλιον) pompa Artamitii die XV. facienda indicatur apud Pat. nr. 43. Uterque titulus certe secundo a. Chr. saec. non antiquior est[4]). Neque igitur hinc quibus temporibus dei sacra Coe instituta sint perspici potest neque e mensis nomine Δάλιος, etsi idem etiam Rhodi et Calymnae reperitur[5]). Ceterum Apollini

---

[1]) Adnotandum esse videtur etiam Isthmios istos titulos (nr. 401, 406), in quibus occurrit Hygiea, eandem fere litterarum formam praebere quam quos supra attuli Coos (nr. 30, 35).

[2]) In nummis legitur Ἀσκληπιοῦ Σωτῆρος (Mionnet III p. 404, 71 sqq.).

[3]) Conferas Coi cuiusdam nomen Δαλιοκλῆς (Pat. nr. 344; aet. Rom.).

[4]) In Deliorum hieropoeorum tabulis, quae ineunte II. a. Chr. saec. compositae sunt (Bull. de corr. VI, p. 6 sqq.), saepius Coi apparent et theorias mittentes et dona deo dedicantes.

[5]) Hoc loco mentio fiat fabularum quae de Anio feruntur. Rectissime enim Patonius (p. 349) haec restituit in Ps-Hippocrat. ep. 26 (Littré IX, p. 404); ⟨Athenienses Con subiecerunt⟩ οὔτε ξυγγενείην αἰδεσθέντες ἢ ἐστιν αὐτέοις ἀπὸ Ἀπόλλωνός τε καὶ Ῥοιοῦς (sic. cod. A., ceteri Ἡρακλέους), ἥτις ἐς Ἄνιον (codd. Ἄνιον) τε καὶ Σούνιον τοὺς κείνων παῖδας ἱκνέεται, οὐδ' Ἡρακλέους εὐεργεσίας. Sunius cum aperte Atticus heros sit, Anium hic quidem Coum haberi necesse est. Quibus omnino fabulis Anius et Delo Mycono Andro Euboeae insulis et Cnidiae Chersonneso vindicatus sit adnotavit Patonius; nec quicquam est quod Cos ipsa illum e Cnidia demum Chersonneso acceperit. Redeunt vero hae fabulae ad Apollinem Delumque (cf. maxime Diod. V, 62; schol. Lycophr. 570) et Anius (vel Anion) ipse Deli rex vocatur (Dionys. Hal. a. R. I, 59; Diod. V, 79). Talibus

Delio *Καλύμνας μεδέοντι*, Calymniorum deo maxime egregio (Newton, greek inscript. of Brit. Mus. nr. 301, 231 sqq.), Cous quoque homo dedicavit, nisi lapis (Pat. nr. 60; Dub. p. 45) in urbe iuxta vetus theatrum repertus Calymna olim illuc transportatus est. — Delium Apollinem ut in fragmenti Coi ad sacras res pertinentis verbis *K]ῴων ἢ ξένων τῷ Ἀπόλλ[ωνι* . . . . . (Paton. nr. 40, a) subaudiamus, ut subaudivit Dubois p. 44, ne uno quidem vestigio suadetur.

Apollini Carneo, quem vel mensis Cous *Καρνεῖος* (*ἱερομηνία Δωριεῦσι* Thucyd. V, 54) indicat, colendo studuisse Coos etiam aliunde confirmatur. Nam vix dubium est quin verbis *τὸ ἄτερον ἔτος ἐφ' οὗ κλέωντι Καρνεῖαι* (Pat. nr. 38, 10, 21) exprimantur Carneorum feriae tertio quoque anno celebratae[1]). — Et sunt alii duo Coi menses qui nomen ab Apolline accepisse videntur: *Ὑακίν(δ)θιος* et *Πεταγείτν(ι)ος*, uterque origine Peloponnesiaca. Ille enim etiam Rhodi, Calymnae, porro Byzantii ac Therae compertus ad Hyacinthia recurrit, Amyclaei Apollinis ferias. Alter vero qui aeque Rhodiis Calymniis Megarensium coloniis Ponticis[2]) erat, Attice vocatur *Μεταγειτνιών*. Atque hic nomen duxisse dicitur ab Apolline Metagitnio (Lysimachides apud Harpocr. s. v. *Μετ.*) i. e. transmigrationis patrono. Idem ut apud Dores illos in Apollinem ac non in alium deum ceciderit, sane non omni ratione flagitatur; attamen Apollinis potissimum partibus optime convenit (cf. *Ἀρχηγέτην*: colonorum ducem), ac eis utique adrideat qui Attica Metagitnia Apollini primitus a Doribus immigrantibus instituta esse

---

rebus subesse censuit Patonius mercium quandam subvectionem commerciumque quod multis per Aegaeum mare cum Delo interfuerit. At quoniam Staphylus, Anii avus, ac filiae Anii quae *Οἰνότροποι* vocantur (v. schol. Lycophr. 570, 580) manifeste ad Bacchum recurrunt, indicari potius tota re mihi videtur vinculo quodam Apollinis et Bacchi sacra in Aegaeis insulis contineri. Naxi laus Bacchica inter omnes constat; de Delo conferas bull. de corr. V, 508; de Mycono Dittenb. syll. 373; de Andro infra p. 64.

[1]) Aliam sententiam protulit Patonius p. 334.

[2]) Non modo Chalcedone iste mensis reperitur (Bischoff. p. 374), sed nunc etiam Callatide (arch. epigr. Mitteil. Oestr.-Ung. 1887 p. 33), quae urbs ab Heracleae Ponticae incolis Megarensibus condita est (Strabo 542; Paus. V, 26, 7; cf. Foucartum bull. de corr. V, 74).

Sauppio adstipulantur (de dem. urb. p. 23; cf. A. Mommsen, Heort. p. 205 sqq.)[1]). — Sacrum quoddam Apollini cum Baccho commune in urbe fuisse videtur, quoniam *Φοίβῳ καὶ Βάκχῳ* Bacchi statuam offert tibicen Aristo (Pat. nr. 58). Quae res etiam magis fortasse effertur, si ea quae de Anii fabula monui contuleris. — Etiam musicarum artium patronus erat Apollo Cous. Ita enim ipsi Musisque[2]) praemium quoddam victoriae cithara partae a victore dedicatur (Pat. nr. 59).

Halasarnae Apollo una cum Hercule colebatur a tribubus; quarum decretum[3]) de eis habemus quibus utriusque dei sacris aeque interesse licuit (Pat. nr. 367; Dub. p. 26 sqq.; III. fere a. Chr. saec.). Nullum ibi quidem invenitur argumentum alius tribus Apollinem proprium fuisse, alius Herculem[4]). Licet autem deis colendis interesse hominibus vere tribulibus, non tantum in ipso demo, sed in tota insula; namque veluti decretum ut omnibus palam fiat, etiam in urbe proponi iubetur (v. 59 sq.). — De sacerdotio sortiuntur (v. 90 sq.). — Heraclea utrum Hyacinthio an sequenti quodam mense celebrata sint obscurum est; quae Dalio autem mense agebantur feriae haud dubie in Apollinis laudem erant Delii. — De re quadam eidem Halasarnensi deo oblata legitur in titulo apud Pat. nr. 372; Dub. p. 19.

Phyxae[5]) demo nomen dedit Apollo *Φύξιος* (schol. Theocr. VII, 130), quod cognomen saepius occurrit, plerumque tamen Iovi inditum; agnosci vero potest aut is qui hostes in bello aut qui scelestum hominem fugere cogit.

---

[1]) In lapide Rhodiae Peraeae (bull. de corr. X, 258) fortasse legendum est: *Ἀπόλλωνος Πε[ταγειτνίου]*.

[2]) In earum honorem Artamitii die XIX. pompa instaurabatur (Paton. nr. 43).

[3]) Quod publica auctoritate istud confirmari debet, ea tempora indicat cum tribus publica potestate orbatae in sacris tantum rebus aliquantum valebant (cf. Dubois p. 33).

[4]) Patonius in titulo nr. 368 explicando statuit Apollinem tribus Dymanum patronum fuisse, Herculem Hylleorum; Pamphylos vero proprio iure omnino non interfuisse illis sacris.

[5]) Ita vere eum nominari, etsi in Theocriti VII, 130 libris *Πύξα* traditum est, demonstrat titulus Cous, in quo legitur *ὁ δᾶμος ὁ Φυξιωτᾶν* (Pat. nr. 328); et item olim scripserit necesse est auctor scholiorum, cum ipsa demi nomen (*Πύξα*) copulent cum Apolline Phyxio vel fuga (*φύξις*) Herculis.

In nummis Cois exstat Apollinis imago inde a tertio a. Chr. saeculo (v. Pat. catalog. num.).

Hominum nomina ad Apollinem quemcunque fere XII, ad Pythium XIV pertinent (v. Pat. ind. p. 367, 383).

Herculis aedes (*Ἡράκλειον*), ad quam sacerdos Hylleorum eponymo, ut videtur, tribus heroi[1]) sc. Hyllo sacrificare mensis cuiusdam die XXIV. iubetur in publicorum fastorum fragmento IV. fere a. Chr. saeculi (Pat. nr. 39; Dub. p. 31 sq.), in ipsa urbe collocanda est; quod nisi subaudiretur, ultro alter locus additus esset, sicut Pamphylorum sacrificium dicitur perpetrandum *παρὰ τὸ Δαμάτριον ἐν Σιτέᾳ.*

Praecipitur autem in eodem titulo etiam extra urbem sacrificium. Huius enim locum indicari verbis *τρίτᾳ ἀνομένου· Ἡρακλεῖ ἐς Κο . . . . . ν ἀρὴν καντός* pro certo habere debemus, si contulerimus quae titulus Pat. nr. 37, 60 praebet: *Ἑβδόμᾳ ἀνομέν[ου]· ἐς Ἀλκηΐδας Δ[άμα]τρι.* Item in eis quae sequuntur: *τᾷ αὐτᾷ ἁμέρᾳ· Ἡρακλεῖ . . . . . σαλον βοῦς* loci notionem recte Patonius divinavit, tamen quod hunc et illum eosdem esse putavit ac congestis quae cuiusque servatae sunt litteris effecit *ἐς Κο[νί]σαλον,* potest verum esse, at non debet.

A familia vel gente coli videtur Hercules *Διομεδόντειος,* cuius sacra quo pacto a Diomedonte quodam instituta sint amplius docet lapis in Co urbe repertus (Pat. nr. 36; Ross. J. G. J. III nr. 311). Inter eos qui omnino sacris intersunt (*οἱ τῶν ἱερῶν κοινωνεῦντες*), praecipuum locum tenent Diomedontis filii eorumque posteri: velut hi sacrificanto (col. A, 9 sq.) ex horumque numero exceptis nothis sacerdotes (*ἱερεύς* et tres in annum *ἐπιμήνιοι*) creantor (col. D, 31 sq.); hi curanto ut sacra integra retineantur (col. D, 18 sqq.). — Sollemnia sacrificia atque lectisternium quoddam (*ξενισμός*) fiebant Herculi diebus XVI. et XVII. mensis Petagitnyi (col. A, 16 sq.; B, 21 sqq.; C, 18 sqq.); die XVIII. [*συναγ*]*ωγή* et reliquis feriarum

[1]) Quae initio fragmenti post diem indicatum leguntur: *τοῖς ἥρω]σιν* ad omnes tres tribus pertinent; singulos heroes eponymos probabiliter agnovit Hicksius apud Paton. nr. 39.

diebus nuptiae conficiebantur (C 21 sqq.). Hae Backio (de Graec. caerim. p. 19 sq.) binae visae sunt sc. et Herculis et hominum quorundam nuptiae; illas voce γάμος, has γάμοι significari. Sed dissuadet vel ὁ τὸν γάμον ποιῶν, quem vix quisquam hominem Herculis instituentem nuptias interpretetur; agnosco potius unice hominum nuptias, quae modo singulari, modo plurali numero vocantur; Hercules vero hospes eis interesse fingitur. — De aede dei verba omnino non fiunt, sed domus quaedam intra sacros fines in horto sita ad res sacras usui fuisse videtur (v. B 18 sqq.; C 36 sqq.).

Antimachiae quae agebantur Herculis sacra insignia erant potissimum miris quibusdam caerimoniis, cum sacerdos sacrificans femineam vestem et mitram sibi indueret ac simul sponsi muliebriter vestiti sponsas exciperent (Plutarch. qu. Gr. 58)[1]. In quibus Asiaticae res barbarorum subesse videntur. (O. Mueller. Dor. I, 450; Dub. p. 46). — Num de hoc dicta sunt Ciceronis verba e 'theologo' quocunque hausta (d. nat. d. III, 16, 42): 'Tertius est (sc. Hercules) ex Idaeis Digitis cui Coi inferias offerunt'?

De Halasarnensi Hercule supra diximus p. 60.

Quo insulae loco Herculi cognomen fuerit Ἄλεξις[2]) (Aristid. orat. V. tom. I, p. 60 Dind.) non constat.

In nummis Cois Hercules omnibus fere temporibus occurrit (v. Paton. catalog. num.).

Hominum nomina faciunt huc cr. XIII (v. Paton. ind. p. 373).

Baccho Scyllitae civitas Coorum compluribus mensis Batromii diebus (XIX. et sexto exeuntis mensis et tertio quodam die intercedente) suem et haedum mactabat (Pat. nr. 37, vv. 45 sqq.). Cognomen dei Maassius (Herm. 1891 p. 178 sq.) ducit a σκύλλος quem marinum potissimum canem atque inde deum ipsum marinum interpretatur; Patonius vero ad vocem σκυλλίς· κληματίς (Hesych.

[1]) Cf. p. 30. Huc rettulit eos qui in Herculis Diomedontei sacris reperiuntur ritus Backius l. l. p. 14—24 fundamento parum solido nixus. Namque rei hic maxime insignis illic nullum vestigium conspicitur; nec hospitium illud Herculis (ξενισμός) e fabulae Plutarcheae imagine expressum esse oportet.

[2]) Idem videtur quod alias Ἀλεξίκακος.

s. v.) i. e. ramum vel vitem rettulit Scyllitam comparavitque cum altero Coo Baccho qui vocatur *Θυλλοφόρος* i. e. qui *θύλλαν* (*κλάδον ἢ φύλλαν* Hesych. s. v.) gerit. Atque huius sacra curabat femina sacerdos, cuius munus perpetuum erat vendebaturque a civitate; licebat ipsi inferiorem sacerdotem (*ὑφιέρειαν*) cooptare alteram civem (Pat. nr. 27). Sollemnia dei certe non minus tria a Cois acta esse demonstrant quae vocantur *Διονύσια τὰ πρῶτα* (Pat. nr. 13; Dub. p. 12). Qua re tamen non flagitatur ut reapse tres fuerint diversi Bacchi cultus, quoniam etiam Athenis ter celebrabantur dies festi, inter quos Lenaea et Anthesteria ad Limnaeum Bacchum, magna Dionysia ad Eleuthereum attinebant. Erat autem mos in Cois ludis ut praeco sacer (*ἱεροκᾶρυξ*) promulgaret honores quosdam publice cuipiam tributos (Pat. nr. 5, 13, 14). Et ponebatur certamen, videlicet in theatro (Pat. nr. 13), musicum choricum scaenicum, ad quod proprium unaquaeque tribuum chorum praebuisse videtur; agebantur vero ab eis, quoad docet titulus Cous Pat. nr. 45, a, b (bull. de corr. XIV p. 299 sq.) et pompa chorica et *κυκ*[*λικὸς χορός*] et fabulae (comicae).

Artamitii die XII. ad Bacchum adire praeceptum erat (Pat. nr. 43).

Templi nulla mentio fit; at aram deo in foro fuisse docet titulus ille, quem adhuc Rhodium habitum certissime Cois vindicavit Dittenbergerus, de sacr. Rhod. II, p. 10—16 (Pat. nr. 10, col. A, v. 27 sq.).

Bacchum cum Apolline colligatum supra attigimus (p. 60).

Isthmi repertus est lapis, in quo haec pauca verba leguntur (Pat. nr. 437): *ερ . . . . . | αγρου τ . . . . | Διονυσω Κ . . . . | ἄνδρες αν . . | Τελευτίαν.*

Duobus mensibus Cois a Baccho nomen inditum est, Agrianioi et Theudaesio. *Ἀγριάνιος*, qui quia etiam obvius fit et Rhod Calymnae et Byzantii (Bischoff. p. 381, 374), ad Peloponnesios redit, idem est atque Boeoticus mensis *Ἀγριώνιος* (Bischoff. p. 344). Nam dies festi *Ἀγριάνια* (*Ἀγριώνια*), ad quos iam pridem viri docti illum rettulerunt (Bergkius, Beitr. z. griech. Mon. p. 49 sqq.), et ab Argivis et a Thebanis Orchomeniisque celebrati esse traduntur (Hesych. s. v.; titul. Theban. in athen. Mitteil. VII, p. 349 sq.; Plut. qu. Gr. 38). Quos ad Bacchum pertinuisse ex eis partibus

cognosci potest quae sacerdoti Bacchi tribuuntur tam in titulo Thebano quam in Plutarchi narratione. In Orchomeniis quidem feriis perpetrare solebat caerimoniam, quae olim vulgo homines deo immolatos esse docet. Et ad tales fere cruentos mores, quoniam iuxta ponitur vox ὠμηστής, spectat cognomen Ἀγριώνιος, quod ad Bacchum haud dubie adhibet Plutarchus Anton. 24. Huius igitur dei memoriam etiam Cois fuisse nobis persuasimus. — Θενδαίσιος inde quod aeque ut Rhodi Calymnae ita Lati, Cretae in urbe, reperitur (Bischoff. p. 381, 385) nondum necesse est Peloponnesius fuerit mensis. Agebantur autem utique eo sollemnia Theodaesia, quae Lati quidem (C. J. G. 2554) et Mytilenae (bull. de corr. IV, 424) constant. Vox etsi per sane, sicut Θεοξένια, omnino dei cuiusdam epulas ac lectisternia significat, tamen ut hanc Bacchi potissimum sacris vindicem, mihi persuadet quod illius in laudem reapse Theodaesia in Andro insula celebrata esse Plinius docet (n. h. II, 103; XXXI, 2, 16); illius porro cognomen interpretatur Theodaesium Hesychius s. v. (cf. Apollinem Theoxenium Paus. VII, 27, 4). Propagatus vero videtur talis dei cultus in insulis Aegaei maris.

Hominum Coorum nomina a Baccho sunt derivata cr. III (v. Pat. ind. p. 370).

Neptuni Coae erant feriae Artamitii die IV. (Pat. nr. 43). Atque etiam Panami, ut videtur, die X. offerendum praecipitur sacrificium in fastorum fragmento Isthmio (Pat. nr. 401).

Neptuni sacer habendus est mensis Cous Γεράστιος, qui item invenitur et Calymnae (Bisch. p. 381) et Lacedaemone (Bisch. p. 366) ac Troezene (Bisch. p. 379; cf. πάτριαν Γεραιστίαν: Collitz nr. 3364). In propatulo est nomen indicare eum Neptunum qui in Euboeae promontorio Geraestio celeberrimis colebatur sacris (cf. E. Gerhard. Gr. Myth. I, p. 207, 3 f.). Faciunt huc etiam nomina Γέρασις Γερασιφάνης, quae Cois civibus saepius reperiuntur indita (v. Pat. ind. p. 370).

Conspicitur Neptunus in nummis Cois apud Mionnet. III, p. 403, 66; suppl. VI, p. 580 descriptis.

Hominum nomina memoriam eius exhibent cr. II (v. Paton. ind. p. 382).

Mercurius publice a Cois cultus non compertus est. Exstat autem memoria privati Hermaistarum sodalicii, cuius princeps erat homo peregrinus (Laodicensis) (Pat. nr. 156). Tamen omnino deus aliquantum valuerit necesse est, si quidem nomen *Ἑρμούπολις* oppido cuidam Coo fuisse recte tradit Steph. Byz. s. v.

Hominum nomina ad eum pertinent cr. X (Pat. ind. p. 371).

Panis sacrum publicum in demo Hippiotarum occurrit nobis Romana aetate (Pat. nr. 361; Dub. p. 18).

Vulcani et Dioscurorum sola Coa vestigia sunt nomina *Ἡφαιστίων* (Pat. nr. 205), *Διοσκουρίδας* (Pat. nr. 10 c[24]; d[11]).

Inter deas primam tractamus Rheam, Iovis matrem (cf. p. 10). Publice ei sacra faciebant Coi et mense Petagitnyo et alius cuiusdam mensis die aliquo qui decimo antecedit (Pat. nr. 38). Et inditum est eius numen feminae cuidam Caesareae (*Σεβαστὰ Ῥέα*: Pat. nr. 119; C. J. G. nr. 2508).

Juno quae apud Coos publicis sacris cognomine *Βασίλεια* fruebatur, erat Argiva (Pat. nr. 38); eadem appellata est *Ἥλεια* propterea, ni omnia fallunt, quod templum eius palustri quodam loco situm erat (Hicks. journal of hell. stud. IX, p. 330). Decimo mensis cuiusdam die immolabatur *δάμαλις κριτά;* et incruenta sacra ad focum (*ἐπὶ τᾷ ἰστίᾳ*) offerebantur (cf. de Iove Polieo p. 53). — Romana aetate occurrit in Co urbe Juno Urania (Pat. nr. 62; Dub. p. 59). — Macareus in libro *Κωακά* inscripto prodidit apud Coos dum sacrificia conficiuntur Junoni, servis neque in templum introire nec cibos paratos gustare licuisse (Athen. VI, 262 c; XIV, 639d; cf. Dub. p. 59).

Hominum nomina sunt ab ea derivata cr. II (Pat. ind. 373).

Ceres in ipsa Co urbe sedem non habuisse videtur. Sacrificabant Coi publice loco *Ἀλκηΐδες* vocato die VII. exeuntis mensis Batromii (Pat. nr. 37). Et aliud ei templum erat Siteae, prope quod tribus Pamphyleorum heroi suo sacrificabat (Pat. nr. 39;

Dub. p. 31 sq.). — Antimachiae repertum est decretum de sacerdotibus feminis Cereris eligendis et consecrandis (Pat. nr. 386). — Isthmia civitas templum exstruxit Caesareae cuidam feminae translato Cereris numine (Σεβαστὰν θεὰν Δάματραν: Pat. nr. 411). — In demo Halente Theocritus id. VII privatos homines facit epulas sollemnes (θαλύσια) parantes Cereri Ἀλῳάδι, quia amplissimis frugibus impleverit horrea.

In nummis III. a. Chr. saec. expressum est Cereris velatum caput (v. Pat. catal. num.).

Hominum nomina ad eam pertinent cr. X (Pat. ind. p. 369 sq.).

Dianae publice Halasarnae cultae vestigium exstat in titulo Pat. nr. 372, Dub. p. 19. — Mensis nomen Ἀρταμίτιος, quoad etiamnunc perspicitur, omnibus fere Peloponnesi civitatibus Doricis communis fuisse videtur (v. Bischoff. p. 366 sqq.).

Homines Coi cr. II a Diana nomen acceperunt (Pat. ind. 369).

Venus pluribus insulae locis sedem tenuit. In ipsa urbe publice cultam nos quidem eam non videmus. Erat autem thiasus Aphrodisiastarum, peregrinorum, ni res fallit, hominum et servorum, quippe quorum princeps Eutychus ponitur patris nomine non addito (Pat. nr. 155). — Nec non eis qui Herculem Diomedonteum venerabantur, Venus sacrificio colenda erat (Pat. nr. 36, col. A, 30).

Halasarnae lapis est repertus, in quo Veneri immolare capram iubentur et Apollinis sacerdos die VII. Panami ac die IX. eiusdem fortasse mensis et is qui sacerdotium[1]) emit, porro haedum ei qui sacros deae hortos balneumque conduxerunt (Pat. nr. 369).

Antimachiae est civium catalogus eorum, qui Veneris aedem exstruere susceperunt (Pat. nr. 387)[2]). Decretum de hac re factum, quia confirmandum fuit, nimirum totius civitatis publica auctoritate, factum esse elucet a tribu quadam vel omnino gentilicia societate[3]).

In fastis quos saepius attigi Isthmiis sacrificium Veneri offeren-

---

[1]) Apollinisne an Veneris incertum; an Veneri omnino sacerdos deerat?

[2]) Propter litteras titulus III. a. Chr. saec. vix recentior est.

[3]) Cf. quae de talibus rebus exposuit Dubois. p. 33.

dum statuitur in Panami, ut videtur, quendam diem; appellatur autem dea eo quod saepius apud Graecos cognomine *Πάνδαμος* (Pat. nr. 401).

In nummis conspicitur Venus II. fere a. Chr. saec. (v. Paton. catal. num.).

Leucotheae, cui publica sacra apud Coos fuisse videntur, nomen in titulo parvulo (Pat. nr. 37, a), qui, sicut magna fastorum fragmenta, IV. fere a. Chr. saec. est, legitur *Λευκο ΘΙ ΙΙ*, unde sane vix aliud quicquam elici potest quam *ΘΕΗ[Ι.* Haec vero forma Jonica eo memorabilior est quia antecedit articulus *τᾷ*; quae si recte hic se habet, ipsius deae Jonicam originem indicat. Et sane apud Jones maxime Leucothea colebatur. Tei enim feriae agebantur *Λευκάθεα* (C. J. G. nr. 3066), Chii et Lampsaci mensi nomen erat *Λευκαθεών* (Bischoff. p. 398), Deli erat templum *Λευκόθιον* (bull. de corr. VI, p. 25).

Adrasteae et Nemesis sacro thesauro pecuniam quandam solvere iubentur si qui peccant in hanc rem: *μὴ δὲ ποι[εύντω τὰν ἀναγραφὰν τ]ᾶς ἀπολυτρώσιος αἴ κα μὴ ὁ ἱερ[εὺς ἀπαγγείλῃ τὰν θ]υσίαν ἐπιτετελέσθαι* (Pat. nr. 29; Dub. p. 61). Videntur igitur in manumissione, videl. servorum, conficienda partes quaedam in illas deas cecidisse, quae tamen e tituli valde mutili neque ante cedente nec sequente parte accuratius definiri possunt.

Concordiae (*Ὁμον[οίᾳ*) templum in urbe pro publico exstructum est (Pat. nr. 61). — Ovis ei (*Ὁ]μονοίᾳ*) mactanda praecipitur in fastis Isthmiis (Pat. nr. 401).

Nec non Bonae Fortunae (*Τύχᾳ Ἀγαθᾷ*) Bonoque Genio (*Ἀγαθῷ Δαίμονι*) Coae civitatis sacra erant (Pat. nr. 57; C. J. G. nr. 2510).

Nympharum sacra tributa apparent in Coo titulo III. fere a. Chr. saec. (Pat. nr. 44; Dub. p. 60); in quo corona honorati esse dicuntur ei qui et contribules digne exceperunt et sacrificia rite curaverunt. — Cf. etiam Theocr. id. VII, 136, 154. — Adno-

tavit Dubois Nymphaeam olim appellatam esse Con insulam (Plin. n. h. V, 36).[1])

Duodecim Dei haud parva valuisse in insula videntur. In urbe eis aram fuisse commemoravimus cum Iove Machaneo communem, in qua ipsorum sacerdos[2]) mensis cuiusdam die XII. et ipsis incruenta sacra et Iovi bovem ovesque immolaverit (Pat. nr. 38, 15). At fuit etiam aedes eorum (*τὸ Δωδεκάθεον*), ubi sacrificia oblata sunt Artamitii die VII. (Pat. nr. 43). — Circa vicum 'Pyli', quem Patonius Halenti demo addicit, una illi colebantur cum heroe Charmylo, idque, ni fallor, a Charmyleorum sive gente sive demo (Pat. nr. 349; cf. p. 15).

Ἡλίῳ καὶ Θε[οῖς το]ῖς συνβώμοις aram in Co urbe dedicavit *Ἀβδαῖος Ἀβδαίου Περ* .... (Pat. nr. 64). Homo est sane peregrinus ac potest fuisse Phoenix; tamen paullum incertus sum num Solem istum Syrium deum cum Patonio ducere oporteat. Iuxta saltem exstabant Solis vere Graeci sacra, quae e Rhodo insula Con translata esse probaverunt nobis fabulae. Testimonio sunt etiam hominum Coorum VI fere nomina a Sole ducta (v. Pat. ind. p. 366, 373).

Matri Deorum sacrificium vindicatur mensis cuiusdam die XX. in Isthmiis alteris fastis, quos item ad publicas res pertinere vel e monarchi notione apparet (Pat. nr. 402). Ab ea, sicut a Phrygio deo Mene, petita sunt hominum nomina fere III (Pat. ind. p. 378).

Ex Aegyptiorum deorum numero Osirim et Serapidem venerabantur privata sodalicia: illum, ut videtur, in Co urbe — nec scio an ei qui interesse dicuntur fuerint cives, quia singulis patris nomen est additum (Pat. nr. 54); hunc Halasarnae (Pat. nr. 371, b).

---

[1]) Liceat admonefacere etiam Triopica Nympharum sacra (schol. Theocr. XVII, 69).

[2]) Cf. titulum Pat. nr. 125 exscriptum p. 53, 1.

Ab Iside IV fere Coorum nomina sunt derivata (Pat. ind. p. 375) ab Anubide unum (Pat. nr. 176).

Extremo loco Helenae mentio fiat ut in Rhodo insula sic apud Coos cultae, quibus, ni res fallit, a maris potissimum periculis homines tueri videbatur (v. Maassii Herm. 1891 p. 185[2] explicationem fabulae a Plutarcho Sol. 4 traditae).

Altenburgi. Typis officinae aulicae Piererianae (St. Geibel et soc.).

INDEX CAPITUM.

		pag.
I.	De Meropibus	3—17
II.	De Asclepiadis et Aeacidis .	18—20
III.	De Eurypylo	20—24
IV.	De Chalcodonte et Chalciope	25—30
V.	De Hercule et Heraclidis .	30—35
VI.	De Clymene et Clymeno .	36—42
VII.	De Dryopibus	42—51
VIII.	De sacris Coorum	51—69

INDEX NOMINUM ET RERUM.

	pag.
Abantes	26 sqq.
Achilles	20
Alciopus	30, 3
Alcon	19 n; 27, 5
Ἀλκηΐδες (locus Cous) . . .	35, 4
Althaemenes	34
Ἀμφιαρηΐς (locus Cous). . .	11, 4
Anius	58, 59 n
Antagoras	25 sq.
Antimachidae Antimachus . .	35
Antiochus (Herculis filius) . .	47, 3
Antiphus	31
Antonin. Lib. Met. IV . . .	43 sqq.
Apollo Ὀγχαῖος	7, 4
— Πυθαεύς	39 sq.
— Σωτήρ	44
Arcadia et Boeotia	7
— Creta	9, 1
— Elis Euboea	29, 1
— Epirus Macedonia	8 sq.
— Troas	9 n; 10, 1
Astypalaea	21
Boeo ap. Ant. Lib. XV .	17, 1
Botes	13, 6
Butes	13 sq.
Ceres Coa et Triopica . .	21, 6
— Chthonia	38 sq.
Charmylus Charmas sim. .	15 sq.
Clytia Clytius	11—13; 21, 6
Coeus	17
Cos Meropis filia	3
Cragaleus	43 sq.; 50
Craugallidae	50
Dei inferi et marini . . .	14, 2
Delphis heroes Phthiotici .	22, 6
Dia Dias	41, 1
Diana Ἡγεμόνη Ἀγροτέρα	45, 3
Dryopes	39 sqq.
Dymanes	35
Echemea	16 sq.
Elymi Elymus Elimia . .	9 n
Epidaurus	18, 5; 35

	pag.
Eumelus	25, 9
Euryanactidae	35, 3
Eurytus	23, 4; 44 sq.
Harpalyce	37 sq.
Helena	69
Hercules *Βουθοίνας*	49 n
Herodae mimiamb. II, 95 sqq.	17; 19
Hippocrates	35, 1
Hyas Hyantes	5
Hyllei	35
Hyperborei	22 sq.
Juppiter Charmon	15
— incunabula	10 sq.
Lamia Lamus	24
Lapithae	19; 32, 3; 47
Latona	17
Lycophr. Al. vv. 895 sqq.	23, 4
Machaon	18
Melaneus	44 sq.
Meleager Anth. Pal. VII, 418.	10
Mercurius Charmophron	16
Minyae	23 sq.; 36 sqq.; 51
Molo	19; 29
Nestoridae	24, 7
Nisyriadae	14, 3
Opis	22 sq.
Orestae	8, 8
Pamphyli	35
Pele Pelia Pelias	20, 4
Peleus	19
Phidippus	31
Phoebe	17
Phorbas	19, 2
Phylas	47
Phyleomachidae	35, 3
Plutarch. quaest. Gr. 58	30; 62
Polybotes	14 sq.
Schol. Apoll. Rhod. I, 1212	43, 4
— Townl. Ω 293	10
Telphusa Tilphusa Thelpusa	7, 4
Thessalus	31
Thessali	33
Thiodamas	46 n; 48 sq.
Thiomenes	46 n
Thrassa	30, 3
Titanis	16 sq.
Tlepolemus	33 sq.
Tmarus Tomarus	9 n
Triopas	3 sq.; 19, 2; 21, 6
Tymphe Tymphaea	9 n

VITA.

Natus sum Hermannus Dibbelt Gryphiswaldiae a. d. IV. Kal. Dec. anni h. s. LXVII patre Henrico, matre Aemilia e gente Krueck, quos adhuc superstites valere ex animo laetor. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in schola publica imbutus inter discipulos Gryphiensis gymnasii receptus sum, quod etiamnunc Steinhauseni floret auspiciis. Maturitatis testimonium adeptus vere a. LXXXVI studiis philologicis et historicis operam navare coepi in Gryphiensi litterarum universitate, unde adhuc non decessi nisi per sex menses, cum Berolini archaeologicis potissimum et historicis deditus eram rebus. Docuerunt autem me viri doctissimi: Baumstark†, Bernheim, Kiessling, Koehler, Maass, Marx, Preuner, Rehmke, Al. Reifferscheid, Robert, Schuppe, Seeck, Susemihl, de Treitschke, Ulmann. Ad exercitationes me admiserunt archaeologicas Preuner Robert, Aristotelicas Susemihl, historicas Koehler, philosophicas Schuppe. Ut seminarii philologici per quattuor semestria essem sodalis ordinarius, per unum senior Kiesslingii Maassii Marxii factum est benignitate; et historico seminario interesse per duo semestria benevole mihi Ulmannus permisit.

Omnibus his viris optime de me meritis gratias pio animo habeo et habebo quam intimas, inprimis Kiesslingio Ulmanno maximeque Maassio, qui sicut prima tironis in studiorum campo vestigia rexit, ita in hac dissertatione conscribenda nunquam mihi defuit consilio.

Nec non gratias hoc loco agere decet viris doctis Britannicis W. R. Paton et E. L. Hicks, propter quorum benignitatem libro quo inscribitur 'inscriptions of Cos' etiam iuris publici nondum facto uti mihi licuit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) Aeschyl. Suppl. 380 K. propono: *ὕπαστρον δέ τοι μῆχαρ ὁρίζομαι γάμου δύσφρονος φυγάν.* (codd. *φυγαί*; vulgo *φυγῇ*).
2) Euripides cum dicit Phoeniss. 1153 K. *ὁ δ' Ἀρκάς, οὐκ Ἀργεῖος* (sc. Parthenopaeus), repugnat Antimacho Thebaidis poetae (cf. schol. Aeschyl. Sept. 530 K.).
3) Platon. Phaed. XVII p. 72 D supplendum est: *τὰς τῶν τεθνεώτων ψυχὰς εἶναι* [*ἐν Ἅιδου*].
4) Strabonis IX, 427 verba *τούτων ὁ βασιλεὺς Αἰγίμιος* et qu. s. ad Ephorum recurrunt (cf. Steph. Byz. s. v. *Δυμᾶνες*).
5) Hesychii s. v. *ἀγητής* verba inde a *τῆς θεοῦ* transponenda sunt in sequentem glossam s. v. *ἀγήτωρ*.
6) In titulo Ambraciensi C. J. G. nr. 1800 non recte Boeckhius *Κανώπῳ* pro *Κάνωπος* substituit.
7) In Hygini fab. 254 suppleo: Chalciope [Alconis] filia patrem non deseruit regno amisso.

3 144 019 178 97

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.